






UC-NRLF
B 2 868 681



DE
COLAI DAMASCENI FONTIBUS
QUAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM ORDINE
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

PAULUS TIETZ
DT.-KRONENSIS.



MARPURGI CHATTORUM
MDCCCXCVI.

Dissertatio
ab amplissimo philosophorum Marpurgensium ordine probata
pridie Kal. Dec. a. MDCCCXCV.

ERNESTO MAASSIO

PRAECEPTORI CARISSIMO

SACRUM.

I.

Nicolai Damasceni fragmenta si cui in animo est perscrutari et ad fontes reducere, a quibus fidem eorum dependere constat, laborem sane non supervacuum subit non tam propter magnitudinem earum rerum, quae insunt in fragmentis, quam maxime idcirco, quoniam quaestio satis difficilis, quae iam diutius quam duas per aetates doctorum mentes sollicitat nondum diiudicata, dirimi non potest nisi Nicolaitanis fragmentis et accurate et diligenter pervestigatis. Nam quamquam multa iam bene observata et confirmata sunt, tamen adhuc is desideratur, qui illa omnia diffuse et dissolute prodita colligat, ratione denuo examinet, in ordinem redigat, ut continua et accurate confecta commentatione certum de illius auctoris scribendi ratione iudicium ferre possimus. Perlustremus igitur, ut ad opus mihi propositum accedamus, ordine singula, quae nobis exstant e Nicolai historia universali, fragmenta; initium autem capessamus ab illis, quae spectant ad res Assyrias Babyloniasque, de quibus Nicolaum in primis libris egisse editores magna cum probabilitate suspicantur.

In illis igitur septem fragmentis, quae huc pertinent, quonam usus est fonte? Percurrentibus nobis numerum eorum scriptorum, quos, cum de iisdem rebus egissent, ille adhibere potuerit, imprimis in mentem venit Ctesias Cnidius, cuius libri XXIII de rebus Persicis summam in antiquitate habebant auctoritatem multisque scriptoribus materiam uberrimam ad res componendas praebuerant. Cuius operis illum sex libros rebus Assyriis et Babyloniis tribuisse, accepimus a Photio eius excerptore bibl. 72. p. 35 *ἀλλ' ἐν μὲν τοῖς πρώτοις ζ' τά τε Ἀσσύρια διαλαμβάνει καὶ ὅσα πρὸ τῶν Περσικῶν.* Noster vero num illum in hac historiae parte conscribenda secutus sit, ut

statuamus, percenseamus septem illa Nicolai fragmenta et comparemus cum iis, quae ex primis Ctesiae libris supersunt. Cuius scriptoris de illis rebus relationem reperimus non in compendio a Photio facto, qui primos libros usque ad septimum omisit, sed praeter fragmenta passim divulgata in Diodori bibl. libro II 1—34, quem ad Ctesiam referendum esse putare pergo, quamvis sententiam hanc adhuc omnibus probatam acerrime impugnaverit Iacobyus in Mus. Rhen. XXX p. 605 sq.[1]). Quam infeliciter enim ille istam opinionem amplexus

1) Ctesiae hanc Diodoreae historiae partem deberi usque ad nostram aetatem omnes consenserunt. Conferas Heyne: de fontibus Diodori in editione a Dindorfio confecta 1886. I p. LXXIV n. 1; Baehr, Ctesiae Cnidii operum reliquiae Frankf. 1824; Alf. de Gutschmidt: „Zu den Fragm des Berosus und Ctesias" in Mus. Rhen. VIII 1853 p. 252 ff., cui his in rebus summam tribuit auctoritatem ipse Iacobyus l. l. p. 558; C. Müller: Ctesiae fragmenta in editione Herodoti a Dindorfio curata Paris 1844; Duncker, historia antiquitatis I² p. 266; M. de Niebuhr: „Geschichte Assurs und Babels" Berlin 1857; Spiegel: Eranische Altertumskunde II p. 244; Rud. Klüber: Ueber die Quellen des Diodor von Sizilien im IX. Buch, Würzburg 1868; quorum contra unam et consentientem vocem dicit Iacobyus, qui Diodorum illa omnia non ex ipso Ctesia hausisse sed e Clitarcho, qui illum ad suam historiam conscribendam adhibuerit, comprobare studet. Quid autem? Clitarchus nonne egit de rebus ab Alexandro Magno gestis? Quomodo et quo loco ille de rebus Assyriis in suo opere scripsisse putandus est? Duas habemus rationes interpretandi. Aut in exordio res antea ibi gestas, ubi postea Alexander pugnabat, praemisit copiosius aut attigit eas leviter et dispersit in singulos libros, ubi primum urbs vel regio quaedam memoriam Assyriorum revocavit. Unam aut alteram viam Clitarchus sane secutus est. Sed quam? Ne Iacobyus quidem — quamquam id oportebat — hac de re certum iudicium tulit, nam cum p. 604 Clitarchum primis quatuor libris res Assyrias exposuisse putat nisus Athenaei loco XII 530: Κλείταρχος ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν περὶ Ἀλέξανδρον γήρᾳ τελευτῆσαί φησι Σαρδανάπαλλον μετὰ τὴν ἀπόπτωσιν τῆς Σύρων ἀρχῆς hac de sententia plane decedit p. 610 iudicans, Clitarchum Sardanapali mentionem fecisse, cum de Alexandri Anchialem adventu diceret, quam urbem ille rex Assyriorum condiderat. Equidem probo hanc sententiam ac puto, cum de Alexandri itinere verba faceret, Clitarchum saepius loca arces urbes monumenta rerum antiquarum commonuisse et, ut nonnulla de iis lectori praeberet, commovisse. Sic etiam Müllerum indicasse video in editione Arriani a Dübnero confecta 1877. Sed utut res se habet, nec hoc nec altero modo Iacobyi sententia fit probabilior. An putamus, Diodorum singula e singulis Clitarchi libris contulisse et composuisse? Caret id omni probabilitate in homine, quem Iacobyus ipse semper ex uno fonte hausisse neque alium nisi excerptorem fuisse vult. Alteram autem opinionem, inter quas Iacobyus haesitat, si teneamus, Clitarchum de populis ab Alexandro subactis eorumque rebus gestis in initio breviter et summatim egisse exploratum habeo, neque tam longe, copiose aut ubere quam Diodori autorem de iisdem exposuisse elucet ex

sit, firmissimis argumentis evicerunt et Neuhausius in Prog. Gymn. Hohenstein 1882 et 1884 et Krumbholzius in Mus. Rhen. 41, p. 321—341, ut argumentationem illius falsam et omni fundamento carentem denuo refutare supersedeam. Unum autem priusquam ad ipsam comparationem relationis Nicolaitanae et Diodoreae vel Ctesianae accedamus, mihi praemittendum videtur dignum quod semper ante oculos nobis versetur. Negemus mea quidem sententia necesse est, quae Diodorus praebeat, ea esse omnia, quae in Ctesiae libris invenerit. Hoc enim per se intelligitur, Diodorum, cum in parte unius libri conscriberet, quae Ctesias sex libris exposuerat, multa omisisse consulto et fontem quam artissime contraxisse. Nonnulla vero, si invenimus apud Diodorum certo aliena a Ctesia neminem offendent, qui illius scribendi rationem novit, qua unum fontem quasi fundamentum narrationi suae subiecit, ex litterarum autem scientia hic et illic quamquam raro nonnulla a fonte suo, quem potissimum sequebatur, discrepantia inseruit [1]).

Ut autem pergam in munere subeundo, Nicolai fragmentum 1 si quis contulerit cum Diod. II 20, quantum distet alterius narratio ab altera neminem fugiet. Apud Diodorum enim Ninyas matri Semiramidi insidiatur, quae regnum deponit sua sponte vel oraculi dicto audiens. Quid autem alter refert? Duo filii, quos Semiramis peperit primo coniugi, a spadone quodam incitati, et matrem et Ninyam ab altero eius coniuge filium insidiis e medio tollere student, ut regnum arripiant. En discrepantia! Attamen fundamentum utriusque narrationis idem est. Apud utrumque legimus de moribus matris corruptis, de insidiis matri a filio vel filiis factis, de spadone partem quandam agente, de Semiramidis generositate, quamquam haec apud alterum alio modo apparet.

Etiam quae Nicolaus refert de exedra, de qua Semiramis copias perlustrabat, non omisit Diodorus haec narrans *εἰώϑει δὲ καὶ κατὰ*

ipsis Diodori verbis et contextu orationis. Vel inde cognosces, quam infirmo fundamento Iacobyus suam sententiam exstruxerit, ut cetera ab eo prolata argumenta irrita reddi non necesse sit, praesertim cum iam confutata sint ab aliis.

1) Eam fuisse illius rationem statuerunt praeter Volquardsenium: quaest. de Diod. font. in hist. Graec. et Sicil. lib. XI—XVI 1868, imprimis Nissenius quaest. crit. de font. tert. et quart. decadis Livii, Berl. 1863 et R. Klüberus de font. Diod. in libr. IX, 1868, p. 2.

στρατοπεδείας μικρὰ χώματα κατασκευάζειν, ἐφ' ὧν καθιστᾶσα τὴν ἰδίαν σκηνὴν ἅπασαν κατώπτευε τὴν παρεμπολήν [1]).

Priusquam autem certum feramus iudicium de fonte, quo Nicolaus hic usus sit, cetera fragmenta percenseamus. Quod sequitur non ita amplum fragmentum 2 componendum est cum Diod. II 23. Valde miror, quod propter exiguitatem fragmenti aliquid concludi posse Iacobyus negat; vide enim verba utriusque auctoris.

Nic. *ὅτι Σαρδανάπαλλος Ἀσσυρίων ἐβασίλευσεν ἀπό τε Νίνου καὶ Σεμιράμεως τὴν βασιλείαν παραδεξάμενος . . . ἔνδον τὸ σύμπαν ἐν τοῖς βασιλείοις διατρίβων . . . ἐγχριόμενος δὲ τὸ πρόςωπον καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπογραφόμενος, πρός τε τὰς παλλακίδας ἁμιλλώμενος περὶ κάλλους καὶ ἐμπλοκῆς τό τε σύμπαν γυναικείῳ ἤθει χρώμενος.*

Diod. II 23 (Ctes. fr. 19) *Σαρδανάπαλλος δέ, τριακοστὸς μὲν ὢν ἀπὸ Νίνου τοῦ συστησαμένου τὴν ἡγεμονίαν, ἔσχατος δὲ γενόμενος Ἀσσυρίων βασιλεύς, ὑπερῆγεν ἅπαντας τοὺς πρὸ αὐτοῦ τρυφῇ καὶ ῥᾳθυμίᾳ. Χωρὶς γὰρ τοῦ μηδ' ὑφ' ἑνὸς τῶν ἔξωθεν ὁρᾶσθαι, βίον ἔζησε γυναικὸς καὶ διαιτώμενος μὲν μετὰ παλλακίδων . . . στολὴν μὲν γυναικείαν ἐνδεδύκει, τὸ δὲ πρόςωπον καὶ πᾶν τὸ σῶμα ψιμυθίοις καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς τῶν ἑταιρῶν ἐπιτηδεύμασιν ἁπαλώτερον πάσης γυναικὸς τρυφερᾶς κατεσκευάσατο.*

Sua utrumque e Ctesia hausisse, si quis negat plane refutatur testimonio Athenaei XII 7 p. 528 F qui Ctesia auctore haec narrat: *καὶ οὗτος [Νινύας] οὖν ἔνδον μένων καὶ τρυφῶν ὑπ' οὐδενὸς ἑωρᾶτο, εἰ μὴ ὑπὸ εὐνούχων καὶ τῶν ἰδίων γυναικῶν. Τοιοῦτος δ' ἦν καὶ Σαρδανάπαλλος . . . Ὅτε δὴ οὖν Ἀρβάκης εἷς τῶν ὑπ' αὐτὸν στρατηγῶν, Μῆδος γένυς διεπράξατο διά τινος τῶν εὐνούχων*

---

1) **Non multum ad iudicium a nobis ferendum valet, quod observamus Nicolaum in eodem fragmento bis uti forma Ionica Ὀννέω, cum in ceteris historiae partibus talia non reperiantur. Neque contendere velim, illum in fonte, ad quem potissimum se addixit, eam formam legisse et in suum opus transtulisse, quamquam post logographos cum alios tum Ctesiam ea dialecto usum esse bene scimus ex Phot. p. 45 a.** κέχρηται δὲ τῇ Ἰωνικῇ διαλέκτῳ.

Σπαραμείξου θεάσασθαι Σαρδανάπαλλον καὶ μόλις αὐτῷ ἐπετράπη ἐκείνου ἐθελήσαντος, ὡς εἰσελθὼν εἶδεν αὐτὸν ὁ Μῆδος ἐψιμυθιώμενον καὶ κεκοσμημένον γυναικιστὶ καὶ μετὰ τῶν παλλακίδων ξαίνοντα πορφυρὰν ἀναβάδην τε μετ' αὐτῶν καθήμενον, γυναικείαν δὲ στολὴν ἔχοντα καὶ κατεξυρημένον τὸν πώγωνα καὶ καταχεκισσηρισμένον.

Locis quos exscripsi comparatis non dubium mihi videtur, quin omnes tres ex eodem fonte Ctesia hausisse statuendum sit. Specta enim, quotiens eadem iisdem fere verbis unusquisque tradat, quod casu fieri potuisse nemo contendet.

Iam porro veniamus ad Nicolai fr. 3, quocum si contuleris Diod. II 24. 1—4 statim similitudinem summam inter utrumque eminere fateberis, praeterquam quod Nicolai narratio uberior et ornatior procedit. Sed quem id offendit in homine, quem antequam ad res gestas componendas accederet, tragoedias et comoedias scripsisse nec non arti rhetoricae totum se dedisse ex vita ab ipso scripta certo scimus?[1]) Res ipsae — et id quidem gravissimum est — eaedem leguntur. Sardanapalo rege Arbaci Medorum duci a Belesi duce Babyloniorum, qui astrologiae peritus futuras res vaticinari sciebat, ut principatum Assyriorum everteret persuasum est. Arbaces Babyloniam satrapiam ei pollicitus est, si bene res evenissent. Ceterorum populorum ducibus sibi conciliatis eunuchum corrupit, ut aditum ad regem sibi pararet, qui oculos hominum veritus cum permultis mulieribus domi semper morabatur. Sic Diodorus vel Ctesias[2]). Eadem omnia legimus apud Nicolaum copiosius et uberius et orationibus ornata, quasi res ipsae agantur. In una autem haeremus discrepantia. Nam cum Nicolaus recte ut ceteri omnes auctores Ninum urbem ad Tigrin flumen sitam esse referat, apud Diodorum l. l. illam urbem ad Euphraten positam videmus. Quae dissensio quomodo explicatur? Ad id priusquam respondeamus primum nobis sciendum, est quid scripserit Ctesias de situ illius urbis. Tantum enim constat, aut illum aut Diodorum errore deceptum esse. Mihi quidem, quamquam sane

1) cf. fr. 3 Müller.

2) Haec omnia e Ctesia sumpta esse ipse Iacobyus confitetur. Quo magis miror, quod ille quamquam semper unum Diodori fontem statuere vellet, quae modo procedunt, ea non eidem fonti adscribi sibi persuasit.

memorabile est, hoc vitium geographicum apud Diodorum ter legi — II 3.2, II 7.1, II 26.9, quem locum conferas cum II 27.1 — tamen res difficilis facilius solvi videtur, errorem si tribuamus ei scriptori, qui certo numquam illas regiones ipsis oculis vidit, quam ei, qui apud Persas tam diu versatus urbem illam ruinis stratam vidisse videtur. Accedit, quod Diodori neglegentia talia vitia nonnumquam evenisse exemplis confirmare possumus, ut nihil obstet, quominus etiam hic utrumque, et Diodorum et Nicolaum, ad eundem fontem respicere putemus [1]).

Sequitur ut agamus de fragm. 4 et 5, quibus Nicolaus refert de iniuria Persondae, qui summa fortitudine inter Medos Persasque florebat, ab Artaeo rege illata. Quomodo Persondas regem et Nannarum, a quo summam turpitudinem passus est, ultus sit a Nicolao non comperimus, quod hic verba exciderunt, sed a Diodoro solum, quem ex eodem fonte ac Nicolaum hausisse nemo erit, qui neget, si modo haec verba contulerit.

Nic. 4 [Dind. p. 5.22]. *ἦν ἐν Μήδοις τότε κατά τε ἀνδρείαν καὶ ῥώμην δοκιμώτατος Παρσώνδης παρά τε βασιλεῖ μάλιστα ἐπαινούμενος καὶ ἐν Πέρσαις, ὅθεν ἦν γένος.*	Diod. II 33.1 *Παρσώνδης τὸν Πέρσην θαυμαζόμενον ἐπ' ἀνδρείᾳ καὶ συνέσει καὶ ταῖς ἄλλαις ἀρεταῖς, φίλον τε ὑπάρξαι τῷ βασιλεῖ καὶ μέγιστον ἰσχῦσαι τῶν μετεχόντων βασιλικοῦ συνεδρίου.*

Cetera quae insunt in Nicolai fragm. non leguntur apud Diodorum, qui hic fontis verba artissime coercuit ita ut de regibus ante

1) Ad Diodorum errorem referunt Müllerus F. H. Gr. III 662 b; Denckerus histor. antiq. II 4 p. 5. Nöldeke Gött. gel. Anz. 1884, p. 299. Grote Hist. Graec. II p. 229. Iacobyus haesitat, num error iure adscribatur Ctesiae an alii scriptori. In dissertatione, quam scripsit in Comm. phil. Lips. 1874, p. 203 sq. assentitur Baehrio et Müllero, qui Diodorum illa e Ctesiae opere sumpsisse sibi persuaserunt (Baehr. l. l. p. 890; Müllerus p. 15 b). Qua de sententia decessit in Mus. Rhen. p. 571 sq. ubi Ctesiam de situ urbis illius optime instructum fuisse, Diodorum autem errorem Clitarcho debuisse, cuius vestigia in libro altero secutus sit, demonstrare studet. Iacobyum autem longe errasse Krumbholzius l. l. p. 341 docuit eripuitque illi unum argumentum, quo nisus Diodori relationem e Ctesia fluxisse negabat. — De Diodori neglegentia velim conferas Volquardsen l. l. p. 127 et Klüber: „Ueber die Quellen in Diodors Buch IX“ Würzburg 1868, et Neuhaus l. l. 1886, p. 17 adn.

Artaeum regnum tenentibus nihil fere praebeat nisi numerum annorum, per quos regnabant. Sed iam licet ulterius progredi atque, quinam utriusque fons communis fuerit, statuere adiuvante Athenaeo, qui libro XII 530^{d} (= Ctes. fr. 52 Müll.) nonnulla refert, quibuscum conferas Nic. fr. 4 Dind. p. 5. 28 sq.

Κτησίας δ' ἱστορεῖ Ἄνναρον τὸν βασιλέως ὕπαρχον καὶ τῆς Βαβυλωνίας δυναστεύσαντα στολῇ χρῆσθαι γυναικείᾳ καὶ κόσμῳ· καὶ ὅτι βασιλέως δούλῳ ὄντι αὐτῷ εἰς τὸ δεῖπνον εἰσῄεσαν πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν ψάλλουσαι καὶ ᾄδουσαι γυναῖκες. ἔψαλλον δὲ αὗται καὶ ᾖδον ἐκείνου δειπνοῦντος.

Nic. fr. 4 (Dind. p. 5. 28 sq.). *οὗτος ὁρῶν Νάναρον*[1]) *τὸν Βαβυλώνιον διαπρεπεῖ κόσμῳ χρώμενον ἀμφὶ τὸ σῶμα καὶ ἐλλόβια ἔχοντα καὶ κατεξυρημένον εὖ μάλα, γυναικώδη τε καὶ ἄναλκιν, ἔπειθεν Ἀρταῖον ἀφελέσθαι. αὐτὸν τὴν ἀρχὴν καὶ ἑαυτῷ δοῦναι δυσχεραίνων σφόδρα τὸν ἄνθρωπον* . . et paulo infra (Dind. p. 9. 22 sq.) *καὶ τοῦ δείπνου παρακειμένου εἰσεληλύθεσαν αἱ μουσουργοί, ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα γυναῖκες, μεθ' ὧν ἦν καὶ Παρσώνδης. καὶ αἱ μὲν ἐκιθάριζον αἱ δ' ηὔλουν, αἱ δὲ ἔψαλλον, ἐν πάσαις δὲ διέπρεπε μάλιστα Παρσώνδης καὶ κάλλει καὶ τέχνῃ, γυνὴ καὶ αὐτὸς νομιζόμενος.*

Qui loci inter se collati luce clarius mihi comprobare videntur, Nicolaum non modo usum esse Ctesiae opere, sed etiam accuratissime saepe ad verbum usum esse.

Transgrediamur ad fr. 6, quo de Stryangaeo refertur, qui propter amorem infelicem in Zarinaeam sibi ipse mortem conscivit. Quod fragmentum cum Diodori relatione componi non potest, quod hic amorem Stryangaei in Sacarum reginam omisit, ex Nicolai autem historia, quae de bello Sacarum antea cum Parthis gestis narraverit, fortuito exciderunt. Sic nobis non liceret Nicolaum sua e Ctesia

1) Diversitatem nominis non tanti esse in promptu est.

hausisse plane evincere, nisi felici quodam casu aliunde ansa suppeditaretur. Exstant enim de Stryangaei in Zarinaeam amorem conceptam duae relationes, quae Ctesia teste nixae eisdem fere verbis eadem docent, Demetrii de elocut. § 218 et Anonymi de mulieribus. Et Nicolaus et Demetrius tradunt epistolam, quam Stryangaeus gravissimis amoris curis tortus reginae misit. Legas verba

Demetr. *ἐγὼ μὲν σὲ ἔσωσα καὶ σὺ δι᾽ ἐμὲ ἐσώθης. ἐγὼ δὲ διὰ σὲ ἀπωλόμην.*

et Nicol. *ἐγὼ μὲν σὲ ἔσωσά τε καὶ τῶν νῦν παρόντων ἀγαθῶν αἴτιος γέγονα· σὺ δέ με ἀπέκτεινας καὶ πάντων ἀνόητον πεποίηκας.*

Cuius epistolae si verba contuleris, aliquam rationem inter utrumque autorem intercedere statim cognosces, quam non interpretamur, nisi etiam Nicolaum ad Ctesiam fontem referri putamus. Nempe e contextu, cui Demetrius Ctesiae verba inseruit, id effici videtur, eum illius verba accuratius nobis servasse. Sed quid refert? Nicolaum relationem flosculis suis exornasse iam vidimus, saepius videbimus. Res ipsas, cum non mutaret, sed suis exprimeret verbis, nihilo minus eum compilatorem fuisse putare debemus. Saepe sane etiam verba ipsa auctoris in suam historiam transtulit Nicolaus, sed id ubique expectare non debemus in homine, quem certo ubertate et copia orationis praestitisse ceterorum operum fragmentis quae exstant demonstratur. Dissensio igitur — si quae omnino statui potest — pro nihilo putanda est, ut Iacobyus, cum Nicolaum non ipsum Ctesiam genuinum sed ab alio scriptore interpolatum descripsisse confirmare vellet, iniuria hoc loco nitatur [1]). Sed haec una illius causa fuit.

---

1) Usque ad nostram aetatem nemo fuit, quin Nicolaum omnia illa e Ctesia desumpsisse putaret. Omnes de hoc fonte consenserunt. Velim inspicias: Orelli: Nicolai Damasceni historiarum excerpta et fragmenta, quae supersunt Lips. 1804, p. 178. Müller F. H. Gr. III p. 346. Wolffgarten: De Ephori et Dinonis historiis a Trogo Pompeio expressis Bonn 1868. Plura testimonia attulit Iacobyus comm. Phil. Lips. 1874 p. 194, qui hanc omnium opinionem accerrime impugnavit. Nam cum hac de re accuratius quam priores ut putabat quaesivisset, Nicolaum non ipsum Ctesiam genuinum sed ab aliquo alio — a Dinone, ut opinabatur — interpolatum adhibuisse ad suam historiam scribendam sibi persuasit. Atque eius sententiae quamvis incertis argumentis confirmatae adeo non adhuc quisquam oblocutus est, quod quidem sciam, ut contra Susemihlius (Alex. Litt.

Ceteras quas protulerit, iam videamus. Si quis, pergit ille, porro secum reputaverit quam vivida eloquentia et colore poetico sermones in Nicolai historia ornati sint et expoliti, Ctesiam omnino non sic scribere potuisse facile intelleget. Quam infirmum argumentum! An putare debemus veteres scriptores ut medii aevi praeter res etiam verba fontis cuiuslibet, quem sequebantur, mutuatos esse et transscripsisse in suos libros? Praeterea ipse se refutat Iacobyus cum paulo post in eadem pagina neminem negare posse etiam Ctesiam potuisse vivide res illustrare adderet. Inde iam elucet, quam non gravibus argumentis hoc in fragmento Iacobyus sententiam suam fulcire potuerit, nam, quae ceterae insunt dissensiones ad diversam nominum scripturam pertinentes illis se non offendi ipse fatetur. Tenemus igitur sententiam adhuc plurimis vel omnibus probatam neque Iacobyi impetu eversam et putare pergimus, Ctesiam fontem Nicolaitanae narrationi subesse.

Ultimo fragmento 7. Dind. breviter agitur de Achaemene Persae filio, a quo Persae dicti essent Achaemenidae. Quod unde sumpserit Nicolaus, non constat, quia de Achaemene filio Persae apud alium auctorem nihil reperimus nisi quae nobis tradit scholiasta ad Dion. Perieg. 1053 *καὶ ἔσχεν* [*Πέρσης*] *υἱὸν Ἀχαιμενέα, ἀφ' οὗ Ἀχαιμενίδαι οἱ Πέρσαι ἐκλήθησαν*, quae verba optime consentiunt cum Nicolao. Fontem autem eius, qui fuerit, statuere non possumus. Müllerus [1]) Hellanicum suspicatus est, sed haec mera est coniectura, quae caret fundamento. Iacobyus quidem adscripsit hoc fragmentum illis duobus (1 et 3), quae ad genuinum Ctesiae opus prorsus non referri posse sibi persuasit. Sed iudicium eum de illis fragmentis valde fefellisse iam intelleximus, quamquam Nicolaum etiam hic e Ctesia hausisse contendere nolim. Fortasse enim casu quodam hoc fragmentum et non suo iure in codicibus secundo Nicolai libro attribuitur, quo res Assyrias rettulit. Sed id discerni non potest. Quomodocumque res se habet ex iis quae adhuc exposui mea quidem sententia plane sequitur, Nicolaum in rebus Assyriis Ctesiae opus

---

Gesch. II 316) probabilem eam quamquam non omni dubitatione vacuam esse ei adsentiretur. Mihi quidem Iacoby rem ita esse non persuasit neque Nicolaum ex ipso Ctesia sua hausisse desisto putare.

1) F. H. Gr. III p. 365 adn.

secutum esse atque id ita, ut ornatui verborum quam maxime operam daret, rebus nihil fere adderet. Permultum enim mea interest, statuere non modo, quem Nicolaus secutus sit, sed etiam, quomodo fonte usus sit.

Fragmentis quae ad res Assyrias pertinent, expeditis aptum mihi videtur statim transire ad fr. 64 et 65, quod etiam hic Nicolaum e Ctesia hausisse constat [1]). De Cyro quae discimus illis ex fragmentis longe recedere a relatione Herodotea nemo mirabitur, qui quid de illius opere censuerit Ctesias meminerit. Photius enim in bibliotheca haec tradidit cod. 72 p. 35 *τὰ περὶ Κύρου καὶ Καμβύσου καὶ τοῦ μάγου Δαρείου τε καὶ τοῦ Ξέρξου σχεδὸν ἐν ἅπασιν ἀντικείμενα Ἡροδότῳ ἱστορῶν ἀλλὰ καὶ ψεύστην αὐτὸν ἀπελέγχων ἐν πολλοῖς καὶ λογοποιὸν ἀποκαλῶν.* Idem confirmat Diod. II 15 referens utriusque opinionem de aliqua re dissentientem [2]).

Ea autem, quae his fragmentis continentur, Nicolaum e Ctesia hausisse his efficitur argumentis. Non multum valet, quamquam etiam id non nullius momenti ist, initium fr. 64 nos admonere Diodoreae narrationis, quae ad Ctesiam referenda est.

Nic. f. 64. *Ὅτι ἐν τῇ Ἀσίᾳ τελευτήσαντος τοῦ τῶν Μήδων βασιλέως ἐκδέχεται τὴν ἀρχὴν Ἀστυάγης ὁ παῖς, ὅντινα μετὰ Ἀρβάκην λόγος ἔχει γενναιότατον γεγονέναι. ἐπὶ τούτου βασιλεύοντος ἡ μεγάλη γίγνεται μεταβολή, καθ' ἣν εἰς Πέρσας ἐκ Μήδων περιῆλθεν ἡ ἀρχή.*	Diod. II 34. 6. *Ἀστιβάρα δὲ τοῦ βασιλέως τῶν Μήδων γήρᾳ τελευτήσαντος ἐν Ἐκβατάναις τὴν ἀρχὴν Ἀσπάδαν τὸν υἱὸν διαλέξασθαι τὸν ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων Ἀστυάγην καλούμενον. Τούτου δ' ὑπὸ Κύρου τοῦ Πέρσου καταπολεμηθέντος μεταπεσεῖν τὴν βασιλείαν εἰς Πέρσας.*

Iam vero Astyagis filiam nupsisse Spitameni narrat Nicolaus [*ἣν δὲ Ἀστυάγῃ θυγάτηρ πάνυ γε γενναία καὶ εὐειδής, ἥντινα Σπιτάμᾳ δίδωσι τῷ Μήδῳ ἐπὶ προικὶ πάσῃ Μηδίᾳ*], Ctesiam

1) Conferas ad haec fragmenta Müller F. Gr. H. III 346 b et 347 sq. Gelzer de aetate Gygis in Mus. Rhen. 35 p. 514. Duncker. l. l. IV 277 sq. Neuhaus. Progr. Hohenst. 1884 p. 19—25; 1886 p. 5. Bauer: Wien. Sitz.-Ber. 1882 p. 518 sq.

2) Diod. II 15: καθάπερ Ἡρόδοτος εἴρηκε. Κτησίας δ' ὁ Κνίδιος ἀποφαινόμενος τοῦτον σχεδιάζειν κ. τ. λ.

secutus ut elucet e Phot. cod. 72 p. 106 Bekk = Ctes. ecl. 29, p. 45 b Müller, ubi exstant haec *φυγεῖν δὲ ἀπὸ προσώπου Κύρου Ἀστυίγαν Ἐκβατάνοις καὶ κρυφθῆναι ἐν τοῖς κριοκράνοις τῶν βασιλείων οἰκημάτων, κρυψάντων αὐτὸν τῆς τε θυγατρὸς Ἀμύτιος καὶ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς Σπιτάμα.*

Summi autem momenti est, quod legimus apud Nicolaum, Cyrum nullo necessitudinis vinculo cum Astyage rege coniunctum fuisse, quod ad Ctesiam referendum esse docet Phot. l. l. = Ctes. fr. 29 [1]). Ex eodem Photio discimus Ctesia auctore Cyrum permulta Oebari debuisse, quae accuratius Nicolaus explicat [2]). Hyrcanorum satrapes Artasyras qui tanta auctoritate apud Cambysem valuit, primus ab Astyage ad Cyrum Cambysis patrem defecerat magnis cum copiis auctore Ctesia (cf. Phot. l. l. p. 47 b Müll.); neque aliter refert Nic. fr. 65 Dind. Quae Diodorus II 33 Ctesiam secutus de continuis Medorum bellis cum Cadusiis gestis tradit, ea etiam Nicolaus accuratius enarrasse putandus est, cum in eo fragmento, quod exstat, Cyrum quondam ab Astyage ad Cadusios ut cum iis de dicione ageret missum esse tradat. Cetera nempe Nicolai exciderunt. Quod autem Bauerus l. l. p. 522 pincernam Cyri a Nicolao sumptum esse e Xenophontis Cyrop. I 3. 9 contendit (*λαβόντα δὲ τὸν Κῦρον οὕτω μὲν δὴ εὖ κλύσαι τὸ ἔκπωμα . . . καὶ εὐσχημόνως προσενεγκεῖν . . . τὴν φιάλην*), quamquam Nicolai verba paene eadem sunt: *εὖ διακονοῦντα καὶ τὴν φιάλην εὐσχημόνως ἐπιδιδόντα* p. 51 Dind., tamen dubito cum eo facere. Nicolaum enim Ctesiae narrationem cum alterius relatione hic contaminasse, vix credibile est iam ea de causa, quod omnia Ctesiam fontem fuisse affirmant. Eo refero pecuniam Atticam [*δραχμῶν εἴκοσιν Ἀττικῶν*] quam Persarum coniuges a Cyro acceperunt. Imprimis autem Ctesiam Nicolai auctorem febris

---

1) Apud Photium scripta videmus haec verba φησὶν οὖν αὐτίκα περὶ τοῦ Ἀστυάγους ὡς οὐδὲν αὐτοῦ Κῦρος πρὸς γένος ἐχρημάτιζεν. Quibuscum verbis Nicolai componi licet hic locus: προσέρχεται δή τις μειρακίσκος ὄνομα Κῦρος, Μάρδος γένος, θεραπόντι βασιλείῳ, ὃς ἦν ἐπὶ τοῖς καλλύνουσι τὰ βασίλεια. Ἦν δὲ ὁ Κῦρος Τοσατραδάτου [sic perverse legitur in libro pro τοῦ Ἀτραδάτου, nomine patris, ut aliis locis scribitur] παῖς, ὅστις ἐλῄστευεν ὑπὸ πενίας. Ἡ δὲ γυνὴ αὐτοῦ, Ἀργόστη ὄνομα, ἡ Κύρου μήτηρ, αἰπολοῦσα ἔζη. κ. τ. λ.

2) De Oebare conferas Maassii commentationem in Progr. Gryph. 1886 et Neuhaus Prog. Hohenstein 1886.

testatur, cuius mentio fit Nic. fr. 64. Cnidium enim, cum medicus esset, saepe ac libenter res ad medicorum artem pertinentes commemorasse ipse Bauerus l. l. p. 520 nos docuit, qui tales locos Ctesianos e Photii bibl. sumptos collegit quam plurimos. Hic quaeret quispiam, quomodo illa verborum similitudo Nicolai cum Xenophonte explicanda sit. Equidem illam ad communem utriusque fontem Ctesiam refero. Xenophontem enim Ctesiae libris uti potuisse, cum scriberet de institutione Cyri, inde apparet, quod hunc librum non ante annum 364 in lucem prodiisse verisimile est ex libro VIII 8 — simodo hic locus genuinus neque interpolatus — Ctesiae opus autem longe antea scriptus est, certe ante Xenophontis librum de expeditione Cyri, ubi I 8. 26 Ctesianae operis mentio fit [1]).

Omitto quae Nicolaus de Graecorum fabulis tradidit. Eas enim percensere non operae pretium esse mihi videtur propterea, quod quotienscumque similes narrationes afferre possumus — exempli causa confer Nic. fr. 54 cum Apoll. bibl. III 13. 3; vel Nic. fr. 53 cum Apoll. bibl. I 9. 27; — tamen fontem designare non possumus. Müllerus quidem Hellanicum agnoscere voluit, dubito an iure. Atque multo minus quomodo Nicolaus hic fonte usus sit, statuere possumus. Neque multa eorum quae Nicolaus de Graecis fabulis praebet, aliena esse a fabulis aliunde notis nego. Sed id nos non debet offendere cogitantes, quam multa et varia Graeci de heroum temporibus finxerint, quantopere poetae, historici, vulgus fabulas a maioribus acceptas ornaverint et mutaverint! Atque quam exigua pars illarum nobis servata est!

Neque aliter hic omitto quae ad res Lydias spectant fragmenta, de quibus in altera parte huius dissertatiunculae agere velim, postquam ceteris fragmentis pervestigatis quaenam Nicolai ratio in singulis historiae partibus conscribendis fuerit statui. De fonte enim eo, quem hic Nicolaus secutus sit, quaestionem sic fortasse ad certum finem perduci posse putavi.

Transeamus igitur ad ea, quae ad Graecorum res gestas perti-

---

1) Idem censuisse iam Neuhausium video Prog. Hohenst. 1886 p. 8. Ceterum conferas de temporum ratione, quibus libri supradicti scripta sint, Isensee: „Der geschichtliche Wert von Xenophons Cyropaedie" et Breitenbachii editionem Cyri institutionis p. XIII praef.

nent, fragmenta, in quibus a reditu Heraclidarum Nicolaum Ephoro potissimum se addixisse, quo iure Müllerus F. H. Gr. III 346 b contenderit, statim videamus. De Heraclidarum reditu Nicolai verba haec exstant fr. 30 Dind.: *ὅτι τὸν Ἀμυκλαῖον νομὸν κατὰ τὰς ὁμολογίας τῷ προδότῃ Φιλονόμῳ ἐξελόντες οἱ Ἡρακλεῖδαι* [*ἀνέμητον* Müll.] *ἀφῆκαν. ὁ δὲ αἰσχυνόμενος ἐπὶ τῇ προδοσίᾳ οὐδαμοῦ ἐφαίνετο. οἱ δὲ Ἡρακλεῖδαι ἀναδασάμενοι καὶ τοῦτον ἐνέμοντο.* Quae sequuntur cum Ephoro conferri non possunt, quod Strabo VIII p. 364 = Müll. F. H. Gr. I fr. Eph. 18 ex illo haec tantum praebet: *φησὶ δ' Ἔφορος καὶ τοὺς κατασχόντας τὴν Λακωνικὴν Ἡρακλείδας Εὐρυσθένη τε καὶ Προκλῆ διελεῖν εἰς ἓξ μέρη καὶ πολίσαι τὴν χώραν. μίαν μὲν οὖν τῶν μερίδων τὰς Ἀμύκλας ἐξαίρετον δοῦναι τῷ προδόντι.*

Verborum similitudo expectanda non est, cum Strabo Ephorum non ad verbum descripserit; rem eandem esse neque mutatam a Nicolao statuere satis est. Idem cognosces, si cum Nic. fr. 32, quo refert de insidiis, quas filii Temeni faciebant patri, quod ille nimiam in generum benevolentiam contulerat eique regnum deferre voluerat, contuleris quae Ephoro auctore tradit Diodorus Siculus in exc. de insidiis fr. 4 (Müll. F. H. Gr. II VIII): *ὅτι Τήμενος τὴν Ἀργείαν λαχὼν ἐνέβαλε μετὰ τῆς στρατιᾶς εἰς τὴν τῶν πολεμίων χώραν. χρονίζοντος δὲ τοῦ πολέμου τοὺς μὲν υἱοὺς οὐ προῆγεν ἐπὶ ἡγεμονίας, τὸν δὲ τῆς θυγατρὸς ἄνδρα Δηιφόντην διαφερόντως ἀποδεχόμενος ἔτασσεν ἐπὶ τὰς ἐπιφανεστάτας πράξεις. Ἐφ' οἷς οἱ παῖδες αὐτοῦ διαγανακτοῦντες Κεῖσος καὶ Φάλκης καὶ Κερύνης ἐπιβουλὴν κατὰ τοῦ πατρὸς συνεστήσατο διά τινων κακούργων οἱ πεισθέντες ὑπὸ τούτων ἐνήδρευσαν τὸν Τήμενον παρά τινα ποταμόν. καὶ φονεῦσαι μὲν οὐκ ἠδυνήθησαν, κατατραυματίσαντες δὲ εἰς φυγὴν ὥρμησαν.*

Narrationem habes Nicolao simillimam saepe ad verbum! Iam porro confer hos locos: Nic. fr. 33 *ὅτι Κρεσφόντης πάντων ἐβασίλευσε τῶν στρατιωτῶν· ὃς ἐπειδὴ διένειμε τὴν γῆν εἰς ε', μετεμέλησε δ' αὐτῷ ἐξ ἴσου διελόντι εἰς ὃ συνετέλουν οἱ λοιποί . . .* Strabo VIII 361 = Eph. fr. 20 *Ἔφορος δὲ τὸν Κρεσφόντην, ἐπειδὴ εἷλε Μεσσήνην, διελεῖν φησιν εἰς πέντε πόλεις αὐτήν, ὥστε τὴν Στενύκλαρον μὲν ἐν τῷ μέσῳ τῆς χώρας ταύτης κειμένην ἀπο-*

δεῖξαι βασίλειον αὐτῷ τῆς βασιλείας, πέμψαι δὲ εἰς Πύλον τε καὶ Ῥίον καὶ [Μεσόλαν καὶ add. Müll.] *Ὑαμῖτιν ποιήσοντας ἰσονόμους πάντας τοῖς Δωριεῦσι τοὺς Μεσσηνίους* [1]).

Properantibus nobis occurrit fr. 51, quod propter tantam verborum similitudinem ad Herodotum referri liquet. Attamen dubito, num ea ex Herodoto ipso Nicolaus hauserit an per Ephorum, quem in rebus Graecis eum secutum esse nonnullis causis iam demonstravimus, aliis affirmabimus. Sed utut res est, Nicolaum ea sibi non finxisse apparet [2]).

Quod sequitur fr. 52 agit de Ionibus cum Orchomeniis mixtis eorumque coloniis simul cum Peloponnesiis in Asiam deductis. Continuam ea de re narrationem ex alio scriptore proferre non possumus.

---

1) Ita Odof. Müllerus Doriens. I 95 textum constituit propter tantam similitudinem Nicolaitanae relationis, unum illud urbis nomen supra additum excidisse arbitratus. Nicolaus fr. 35 enim commemorat illas urbes.

2) Composui ut consensum verborum perspicias hic Nic. fr. 51 cum Her. IV 160.

ὅτι Κυρηναίοις οἱ Βάττου παῖδες Ἀρκεσίλαος καὶ Λέαρχος πρὸς ἀλλήλους στασιάσαντες μάχην ἤγειραν Λιβύας ἐπ' αὐτοὺς ἐνεγκόντες. καὶ ἡττῶνται Κυρηναῖοι. ἑπτακισχίλιοι γὰρ ἀπέθανον ἐν τῷ πολέμῳ Ἀρκεσίλαος δ' ἐπὶ τούτοις φάρμακον πίνει. δυσθνητοῦντα δ' αὐτὸν ὁ ἀδελφὸς ἦγξε Λέαρχος. Τὸν δὲ Λέαρχον ἡ τοῦ Ἀρκεσίλεω γυνὴ κτείνει Ἐρυξώ. Τὴν δ' ἀρχὴν ὁ τοῦ Ἀρκεσίλεω παῖς ἐκδέχεται Βάττος χωλὸς ὤν.	Τούτου τοῦ Βάττου παῖς γίνεται Ἀρκεσίλεως, ὅς βασιλεύσας πρῶτα τοῖσι ἑωυτοῦ ἀδελφοῖσι ἐστασίασε, ἐς ὅ μιν οὗτοι ἀπολιπόντες οἴχοντο ἐς ἄλλον χῶρον τῆς Λιβύης καὶ ἐπ' ἑωυτῶν βαλλόμενοι ἔκτισαν πόλιν ταύτην . . . κτίζοντες δ' ἅμα αὐτὴν ἀπιστᾶσι ἀπὸ τῶν Κυρηναίων τοὺς Λίβυας. μετὰ δὲ Ἀρκεσίλεως ἐς τοὺς ὑποδεξαμένους τε τῶν Λιβύων καὶ ἀποστάντας τοὺς αὐτοὺς τούτους ἐστρατεύετο . . . συμβαλόντες δὲ ἐνίκησαν τοὺς Κυρηναίους τοσοῦτο ὥστε ἑπτακισχιλίους ὁπλίτας Κυρηναίων ἐνθαῦτα πεσεῖν. μετὰ δὲ τὸ τρῶμα τοῦτο Ἀρκεσίλεων μὲν κάμνοντά τε καὶ φάρμακον πεπωκότα ὁ ἀδελφεὸς Λέαρχος ἀποπνίγει, Λέαρχον δὲ ἡ γυνὴ ἡ Ἀρκεσίλεω δόλῳ κτείνει, τῇ οὔνομα ἦν Ἐρυξώ. διεδέξατο δὲ τὴν βασιληίην τοῦ Ἀρκεσίλεω ὁ παῖς Βάττος, χωλός τε ἐὼν καὶ οὐκ ἀρτίπους.

Exscripsi totos locos, quod Müll. F. H. Gr. l. l. non omnia verba utriusque quae congruunt adnotavit. Herodoteam relationem Nicolaitanae subesse verbis plane demonstratur, sed quaeritur, num hic illius opere ipso usus sit an Ephoro, qui Herodotum sequebatur atque in Graecis rebus gestis Nicolai auctor erat. Equidem Müllero adsentiri velim, qui Ephorum fontem fuisse sibi persuasit F. H. Gr. III 387 adn., quamquam confirmari non potest.

Attamen ne quis putet Nicolaum ea de suo historiae suae inseruisse, exscripsi nonnullos locos. Apud Herodotum I 146 exstant haec: *τούτων εἵνεκα οἱ Ἴωνες δυώδεκα πόλις ἐποιήσαντο . . . Μινύαι δὲ Ὀρχομένιοί σφι ἀναμεμίχαται καὶ Καδμεῖοι καὶ Δρύοπες καὶ Φωκέες ἀποδάσμιοι καὶ Μολοσσοὶ καὶ Ἀρκάδες Πελασγοὶ καὶ Δωριέες Ἐπιδαύριοι, ἄλλα τε ἔθνεα πολλὰ ἀναμεμίχαται κ. τ. λ.* Et Pausaniae VII 2. 3 *Ἴωσι δὲ τοῦ στόλου μετασχόντες . . . καὶ Ὀρχομένιοι Μινύαι συγγενείᾳ τῶν Κόδρου παίδων.* Similia referunt Strabo VIII 383. 365 et Pol. II 42. Sic igitur Ephorus eadem de re aliquid enarrasse putandus est.

Iam veniamus ad fr. 55, quo Nicolaum de Lycurgo Ephorum secutum esse certis causis comprobari potest. Narrat enim ibi Lycurgum Crisae mortem sibi consciuisse postquam a deo responsum tulit, Lacedaemonios, quoad leges retinerent et observarent, tamdiu libera et felici patria usuros esse. Cum Nicolao bene consentiunt Plutarchi verba in vita Lycurgi cp. 31: *τελευτῆσαι δὲ τὸν Λυκοῦργον οἱ μὲν ἐν Κίῤῥᾳ λέγουσιν.* Quod hic Cirrham urbem pro Crisa legimus, neminem offendet, qui quotiens illae urbes a scriptoribus antiquis confundantur meminerit. Sed cum utrumque ex eodem fonte prompsisse appareat, quinam ille fons fuerit, est nobis statuendum. Docet nos Aelianus Var. hist. XIII 23 *λέγει δὲ Ἔφορος αὐτὸν λιμῷ διακαρτερήσαντα ἐν φυγῇ ἀποθανεῖν* [1]. Neque hoc uno indicio Ephorus nobis Nicolai auctor probatur. Videamus cetera! Legimus Nic. fr. 55, Lacedaemonios gratis animis propter rem publicam bene constitutam templum et aram condidisse, ubi quotannis Lycurgo sacra fierent. Etiam ea ex Ephoro sumpsisse Nicolaum elucet e Strab. VIII p. 366 qui Ephoro auctore haec tradit: *μόνῳ γοῦν Λυκούργῳ ἱερὸν ἱδρῦσθαι καὶ θύεσθαι κατ' ἔτος.* Atque ne quid dubii remaneat, accedit alterum. Ex Ephoro enim [2] Lycurgus fuit Proclis proles sextus, ex eodem Heraclidae redierunt annos 735 antequam Alexander in Asiam transiit [3]. Inde sequitur Lycurgum leges dedisse Ephorum

1) cf. Ed. Meyer. Mus. Rhen. 42, p. 91. Busolt. Graec. hist. ed. altera. I 578, adn. 1.

2) cf. Strab. X 481.

3) cf. Clem. Strom. I 337 — Müll. F. H. Gr. I Tim. fr. 153.

si sequimur anno 869 a. Chr. n. [1]). Atqui Nicolaus tradit fr. 55 Lacedaemonios Lycurgi leges quingentos per annos servasse, quamquam non dicit, quo tempore illas sublatas esse censeat. Sed sine dubio ante oculos obversabatur ei illud tempus, quo Lacedaemonii a Thebanis principatu de Graecia tamdiu observato privati sunt, quod factum est anno 371 a. Chr. n. Ex eius igitur ratione Lycurgus leges dedit anno 870 fere a. Chr. n. En idem tempus, quod Ephorus exhibet! Tam bene congruunt utriusque rationes temporum, ut Nicolai fontem hic fuisse Ephorum et inde et ex ceteris quas commemoravi causis sine ulla dubitatione concludere debeamus.

Quae sequuntur fr. 56—58 ad vetustam Corinthi historiam referuntur, in qua, quamvis multa narrentur aliena ab Herodoto, tamen eius narrationem subesse comprobabimus, sed ita, ut appareat studium ratiocinandi. Atque eam fuisse Ephori rationem scribendi, iamdiu bene scimus [2]). Quomodo hic auctor Nicolai Herodotea relatione usus sit, dilucide Busoltius [3]) demonstravit. Herodotus, ut exemplum proferam, commemorat satellites — *δορυφόρους* — Periandri, non Cypseli. Inde Nicolai auctor Cypselum sine satellitibus clementer regnasse concludit [4]), praesertim cum iam Herodotus enarraverit de Cypselo *διαπλέξαντος τὸν βίον εὖ*. Quod autem optime illustrat, quam scribendi rationem Nicolai auctor probaverit, cistam omisit, qua Cypselum servatum esse a morte Herodotus tradit periucunda confabulatione. Ceterum Nicolai narratio simplicior est et ita procedit, ut fide dignior videatur quam Herodoti fabula. Pater servat filium Cleonas abductum. Cypselus cum adultus in patriam rediisset, populi gratiam sibi conciliare studuit, quod adeo ei contigit, ut brevi polemarchus fieret. Interdum cum Bacchiadarum gens, quae tum

---

1) 334 + 735 — 6 γενεαί = 1069 — 200 = 869.

2) De Ephori scribendi ratione inspicias Müller F. H. Gr. I p. LXIV; Bauer: Annal. Fleck. X Suppl. p. 281. Endemann: Beiträge zur Kritik des Ephorus Cob. 1881. Collmann: de Diod. Sic. fontibus, Lps. 1869. Neuhaus: Progr. Hohenstein 1886, p. 13—15. Busolt. Gr. Hist. I 157, 613, 436; II 104 sq., 314 sq., 362 adn., 497 adn. Grote Gr. Hist. V 114 adn. Holm Gr. Hist. II 118.

3) Gr. hist. ed. alt. p. 640 adn. 1.

4) Κύψελος δὲ Κορίνθου πράως ἦρχεν οὔτε δορυφόρους ἔχων οὔτ' ἀποθύμιος ὢν Κορινθίοις.

Corinthi imperium obtinebat, in dies populo fieret odiosior, ipse ei ducem se praebet et optimatium regno perverso rex factus est. Sic Nicolaus. — Recte admonet Busoltius I 657 ex ea narratione nos non intelligere, quomodo Cypselus polemarchus fieri potuerit, cum advena qui fuisset, nisi agnitus esset, ad eum honoris gradum non ascendere potuisset, sin agnitus esset, statim ab optimatibus e medio sublatus esset. Inde igitur cognoscitur auctorem Nicolai, cum Herodoti relationem mutaret, omnes difficultates tollere non potuisse. Sed fortasse hic quisquam putare dubitabit, illum auctorem fuisse Ephorum, quamvis apta sit Nicolaitana relatio eius rationi. Cui omnem dubitationem demere possumus, ubi primum transimus ad fr. 57 et 58 ad Periandrum pertinentia, quae ex eodem fonte ac fr. 56 fluxisse consentaneum est. De Periandro duae inter se diversae relationes exstabant in antiquitate, una adversa illi, altera quae ei favebat, quarum illam ab Ephoro originem ducere efficitur e Diog. Laert. I 96 = F. H. Gr. I fr. 106: *οὗτος* (Periander) *πρῶτος δορυφόρους ἔσχε καὶ τὴν ἀρχὴν εἰς τυραννίδα μετέστησε καὶ οὐκ εἴα ἐν ἄστεσι ζῆν τοὺς βουλομένους, καθ' ἅ φησιν Ἔφορος καὶ Ἀριστοτέλης* (Polit. V 8). Idem refert Nic. fr. 57 iisdem fere verbis: *Περίανδρος . . . τὴν βασιλείαν παρὰ τοῦ πατρὸς κατὰ πρεσβεῖον παραλαμβάνει καὶ ὑπὸ ὠμότητος καὶ βίας ἐξέτρεψεν αὐτὴν ἐς τυραννίδα καὶ δορυφόρους εἶχεν τριακοσίους.* Putare debemus Ephorum facinus Periandri in coniugem mortuam commissum, de quo et Nicolaus et Herodotus referunt (V 92, 7: *ὅς νεκρῷ ἐούσῃ Μελίσσῃ ἐμίγη*), non omisisse. Periandrum autem a quibusdam in septem sapientium numero relatum esse Nicolaus ex Ephoro sumere non potuit, quem aliter censuisse discimus e Laert. Diog. I 41. Sed de Periandro sapiente posteriores consenserunt neque, si quid Nicolaus historiae suae inseruit, quod in ore omnium ferebatur, id obloquitur eorum sententiae, qui Nicolaum fontes suos descripsisse, cum nihil mutaret vel interpolaret, arbitrantur.

Fr. 60 conferendum est cum Herodoto III 50, quamquam non omnia consentiunt. Hic enim nobis de duobus Periandri filiis tradit, quorum maior natu mente captus non idoneus erat, qui regnaret, alter Lycophro a patre, cui propter matris caedem magnopere succensebat, patria pulsus, sed postea veniam nactus et Corcyrae insulae prae-

positus est. Unde cum pater revocaret eum Corcyraei necaverunt, ut ipsius Periandri imperium evitarent. Qui de caede filii certior factus graviter in Corcyraeos invectus est, noxios interfecit, eorum pueros trecentos numero ad Alyattem Lydiae regem misit ut castrarentur. Qua cum narratione si Nicolai fr. 60 contuleris, initium discedit, cetera congruunt. Nicolaus novit quatuor Periandri filios, qui omnes ante patrem perierunt. De Lycophrone exstant apud eum haec: *Λυκόφρων τυραννίδα καταστεναζόμενος παρὰ τοῖς περιοίκοις.* Quae de Lycophrone Cercyra in insula regnante et ab incolis necato tradit Herodotus, omnia ea legimus etiam apud Nicolaum, praeterquam quod nomen mutatum est in ipsius auctoris nomen Nicolai. Quae dissensio quomodo fieri potuerit disceptare nolim. Ephorum nomen mutasse mihi non credibile est propterea quod Diog. Laert. I 94 eum secutus cum Herodoto bene consentit.

Restat unum fr. 59 ad Graecas res pertinens, quo agitur de Orthagoridarum tyrannide. Ab Herodoto hic multa abhorrent, quamquam tenor totius historiae genti illi adversus apud utrumque idem est. Neque mirabimur, quod hic Nicolaus Herodoto non usus est, hunc talia leviter solum attigisse occasione oblata, illum autem accuratius de vetustiore Graeca historia agere voluisse deliberantes. Id vero verisimile est, quamquam evinci non potest, hanc narrationem ex eodem fonte i. e. ex Ephoro fluxisse atque illam de Bacchiadarum tyrannide, quod utraque tyrannis aversa est[1]).

Transeuntibus nobis ad res gestas Romanorum, quas a Nicolao accepimus, statim occurrunt duo fr. 68 et 69, quae ad verbum congruunt cum duobus locis Dion. Hal. I 82 sq. et II 32 sq. Nicolaum adeo fuisse securum, ut ex auctore aequali integras paginas furatus sit, iam Valesius miratus est, attamen illa duo fragmenta Nicolao demere noluit ratus eum, cum scriberet historiam universalem, necessario multos scriptores compilasse et quo longius progrederetur eo citius properasse. Aliter iudicavit Corayus, qui furti crimen Nicolao exprobrari noluit, sed a librariis nescientibus, cuius auctoris illa fragmenta essent, inter Nicolai excerpta intrusa fuisse suspicatus est. Quam sententiam probabiliorem reddere studuit Dindorfius Ann. Fleck. 99 p. 111 sq., cum compluria textus vitia — ut opinabatur — colli-

1) cf. Busolt Lacedaem. p. 221. Graec. hist. ed. alt. I 661.

geret, quae eadem omnia etiam in Dionysii codicibus invenirentur, quaeque Dionysii iam temporibus exstitisse vel postea simul in utriusque libros irrepsisse putari nequirent. Quae cum ita sint, ut statuerem, quid hac de quaestione censendum esset, cum ipse munus subirem utriusque scriptoris codicibus accurate collatis magnopere aegre fero, quod nondum habemus editionem Dionysii apparatu critico instructam neque Nicolaitana fragmenta ad talem quaestionem diudicandam apte edita sunt [1]). Sed quamquam dolendum est, quod certis argumentis

1) Accuratius si pervestigamus verba Dionysii, ut exstant in codicibus, et cum Nicolai verbis codice Turonensi traditis comparamus, affinitatem magnam, quae intercedit inter Turonensem et Dionysii librum Vaticanum vel Urbinatem — editores littera B designare solent — miramur. Licet mihi quae in utroque libro neque in ceteris inveniuntur lectiones componere, quas quidem Iacobyus collegerit et adnotaverit, quamquam moleste fero, quod ille editor apparatum criticum sane non sufficientem editioni suae addidit, mihi autem altera collatio accuratius facta non praesto erat. Hae sunt scripturae in libris T et B exstantes:

παρ' αὐτῶν Nic. fr. 68. Dind. p. 69. 16; Dion. I 83. 1, cuius ceteri libri ὑπ' αὐτῶν praebent.

τῆς σῆς θυγατρός Nic. p. 69. 18, Dion. I 83. 1, ubi in ceteris hic ordo verborum legitur τῆς θ. τῆς σῆς.

τοὺς παῖδας, φράσουσι Nic. p. 69. 28, Dion. I 83. 1, ubi ceteri Dionysii codices post παῖδας interponunt prave ἐγώ.

ὑπὸ ταῖς περιβολαῖς ξίφη. Nic. p. 70. 1, Dion. I 83. 3, ubi ceteri omnes post περιβολαῖς addunt ἑαυτῶν.

δραματικῆς Nic. p. 70. 22, Dion. I 84. 1, ceteri praebent δραστικῆς.

δέδωκε τοῖς φυλάττουσιν τὰς ὠδῖνας Nic. 70. 25, Dion. I 84. 2, ubi ceteri et ordinem et verbi formam mutant τοῖς φ. τὰς ὠδ. ἔδωκε.

πρὸς ὀργὴν Nic. p. 71. 4, Dion. II 32. 1, in ceteris legitur δι' ὀργῆς.

εἰς ὃ τέλος Nic. p. 71. 5, Dion. II 32. 1, hic altera manus libri B quae saepius bene cum libro T consentit, eandem ac T lectionem praebet, cum prima manus εἰς ὃ τέλους, ceteri codices εἰς τέλος scribunt.

εἶχεν ἀχθόμεναι τῇ κτίσει κ. τ. λ. Nic. p. 71. 17, Dion. II 32. 2, ceteri omnes ἀχθόμεναι omittunt.

καθ' ἕνα τρεῖς Nic. 12. 1, Dion. II 33. 1, ubi ceteri recte tradunt καθ' ἓν αἱ τρεῖς.

Ii loci, quos aliis codicibus aliter traditos esse editor expressis verbis adnotat, sufficiant, ut quam arte illi codices coniungendi sint demonstretur. Quaeritur autem, num ille consensus haec duo Nicolai fragmenta in spurium vocare possit, ut quasi casu aut consilio in illius excerpta surrepserint Nicolao demenda sint. Omnibus illis locis supra collatis, quos B et T libri consentientes tradunt, eorum lectionem retinendam esse editores censuerunt una ultima excepta, ubi ceterorum codicum scriptura genuina sit; sed haec dissensio tam exigua — una enim littera i. excidit — non multum valet. Quid igitur statuendum? Licetne nobis ex illo

illam quaestionem disceptare non possumus, tamen nunc non multum refert, utrum Nicolao illa fragmenta demenda an relinquenda sint; si relinquenda, eum excerptorem fuisse plane ostendunt, si demenda, in eandem sententiam iis, quae iam perscrutatus sum, fragmentis ducti sunt, ceteris ducemur.

Usque ad bellum Mithridaticum de rebus Romanis nihil exstat apud Nicolaum. De illo autem bello cum scriberet, eum Posidonii Rhodii libris usum esse fortasse efficitur fr. 78, ubi terrae motus commemorantur; Posidonium enim talia dedita opera enarrasse non ignoramus. Cf. Posid. fr. 68 et 76 Müll. F. H. Gr. III. Accedit quod in his paucis fragmentis quae exstant bene consentit ille cum aliis auctoribus, quos ex eodem Posidonio hausisse constat. Quod ut intellegas, confer Nic. fr. 78 *περὶ Ἀπάμειαν τὴν Φρυγιακὴν κατὰ τὰ Μιθριδατικὰ σεισμῶν γενομένων. ἀνεφάνησαν περὶ τὴν χώραν αὐτῶν λίμναι τε αἱ πρότερον οὐκ οὖσαι* . . cum Iustino XL 1. quem Posidonio usum esse Gutschmidtius in Ann. Fleck. Supp. II 279 demonstravit: „sed sicut ab hostibus tuta Syria fuit, ita terrae motu vastata est, quo centum septuaginta milia hominum et multae urbes perierunt." Quam arte denique Nicolaus Posidonium secutus sit, sequitur e fr. 79 Müll. ex Athen. VI p. 266 E sumpto, qui de Chiis a Mithridate subactis utrumque auctorem laudat his verbis: *Νικόλαος δ' ὁ Περιπατητικὸς καὶ Ποσειδώνιος ὁ Στωικὸς ἐν ταῖς ἱστορίαις ἑκάτερος τοὺς Χίους φησὶν ἐξανδραποδισθέντας ὑπὸ Μιθριδάτου κ. τ. λ.*

Cetera quae exstant excerpta magna ex parte spectant ad Iudaeorum res, quas unde sumpserit non est perspicuum, quod de iis parum instituti sumus. Quo magis ad suam ipsius aetatem processit, eo magis rem eum instruere oportuit suo Marte. Hic autem Nicolaum non in eorum scriptorum numero habendum esse, quibus nimis magna fides tribuatur, docet nos Iosephus (Nic. fr. 82 et 93), qui

---

consensu, quatenus spectat ad locos certo sanos, unum ex altero librum descriptum esse concludere? Minime! Sic igitur inde Dindorfius sententiae suae nihil lucratur neque de vitiis, quae et apud Nicolaum et in Dionysii codicibus invenerit, mihi ut editoribus res tam firma est. Accuratius autem hanc quaestionem perquirere non possum, quod mihi deest collatio omnium librorum, neque ob hanc causam his fragmentis magnam vim attribui velim.

eum imprimis in historia Herodis regis et amici sui conscribenda non tam veritati quam regis gloriae consuluisse censet.

Fr. 86 unde hauserit statuere possumus. Confer enim cum eo Caesaris verba in comm. de bell. Gall. III 20: „Qua re impetrata arma tradere iussi faciunt. Atque in ea re omnium nostrorum intentis animis alia ex parte oppidi Adcantuannus, qui summam imperii tenebat, cum sescentos devotos, quos illi Soldurios appellant (quorum haec est conditio, uti omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quorum se amicitiae dediderint; si quid iis per vim accidat, aut eundem casum una ferant aut sibi mortem consciscant; neque adhuc hominum memoria repertus est quisquam, qui eo interfecto, cuius se amicitiae devovisset, mortem recusaret). Cum iis Adcantuannus eruptionem facere conatus clamore ab ea parte munitionis sublato cum ad arma milites concurrissent, vehementerque ibi pugnatum esset, repulsus in oppidum tamen ut eadem deditionis conditione uteretur a Crasso impetravit.“ Verba ita sibi respondent, ut sine dubio Nicolaum Caesaris commentarios exscripsisse statuendum sit.

Summam faciamus! Omnia Nicolai fragmenta, quae ad fontes referri possunt, illum in eorum scriptorum numero referendum plane testantur, qui accurate fontes ita sequerentur, ut nonnunquam fortasse aliquid omitterent, vix unquam autem de suo adderent vel mutarent [1]). Neque id mirum in homine, quem cum antea totum se dedisset aliis studiis, sero demum ad historiam universalem conscribendam accessisse scimus. Quod autem summi momenti esse mihi videtur, Nicolaum diversas inter se relationes, quas apud complures auctores invenisset, in unam contaminasse ne uno quidem exemplo adhuc comprobatum est. Cui rei cur tantam velim vim attribui, infra cognoscetur.

---

1) Conferas Nic. fr. 2 et 3, quod cum aliis causis tum propter formas Ionicas Ctesiae adscribitur. — Quam arte et accurate Nicolaus fontes secutus sit, efficitur etiam e verbis Stephani Byz. = fr. Nic. 26: τὰ αὐτὰ καὶ Νικόλαος.

II.

Capite antecedente postquam omnia fere quae exstant Nicolai Damasceni excerpta ordine perscutatus sum iis exceptis quae ad Graecorum fabulas et Lydias res pertinent, atque cum satis comprobasse mihi videar hunc auctorem fontes suos semper accurate descripsisse neque quicquam fere quatenus sciri potest earum rerum, quas invenit, mutasse vel aliis historiis aliunde sumptis confudisse, transeo ad res Lydias, quas Nicolaum Xantho logographo debuisse usque ad Welckerum omnes consenserunt. Is enim ab Athenaei loco profectus, qui haec praebet XII 515 D: *ὡς ἱστορεῖ Ξάνθος ὁ Λυδὸς ἢ ὁ εἰς αὐτὸν τὰς ἀναφερομένας ἱστορίας συγγεγραφὼς Διονύσιος ὁ Σκυτοβραχίων ὡς Ἀρτέμων φησὶν ὁ Κασσανδρεὺς ἐν τῷ περὶ συναγωγῆς βιβλίων*, cum pervestigaret diligenter fragmenta Xantho adscripta tot tantasque suspicionis causas et in illis et in iis, quae omnium consensu e Xantho sumpserit Nicolaus, detexit, ut plurima logographo illi veteri demenda atque tribuenda esse censeret Dionysio Scytobrachioni, qui Artemone teste illius opus ampliavisset et in novam redegisset formam studiis sensibusque suae aetatis adaptatam [1]). Qua de sententia, ubi primum prolata est, statim lis acerrima exarsit, cum alii cum Welckero facerent, alii vehementer eum impugnarent. Inter recentiores, qui rem tractabant — omitto vetustiores — astipulabantur Welckero praeter C. Müllerum F. H. Gr. III 346 et Hachtmannum: de Dionysio Mytilenaeo sive Scytobrachione Bonn 1865, imprimis E. Meyerus hist. antiq. I 449 et Busoltius

1) Welcker: „Kleine Schriften“ I 431; „Der epische Cyclus“ I 70.

Graec. hist. I 331 nec minus Wilamowitzius Quaest. Homer. p. 361, qui de epitoma Xanthi a Dionysio in suum doctorum facta sed immutata cogitavit [1]). Nec tamen omnes id assensi sunt. Adversariorum a partibus iam stetit Gutschmidtius [2]), sed causis non satis firmis nixus est. Acrius Welckerum aggressus est Lipsius commentatione egregria [3]), qui unum potissimum errorem eius detegere voluit multis approbantibus ut Susemihlio [4]). Welckerus enim unum Xanthi fragmentum 11 [5]), quo refert de corpore Atergatis in piscis formam desinente satis esse documento contenderat, excerpta sub Xanthi nomine nobis servata non omnia genuina esse. Atqui Lipsius illud fragmentum minime Dionysio attribuendum esse comprobare operam dedit ea de causa quod temporum rationes repugnarent. Nam Mnaseam — is enim illud fragmentum nobis tradidit apud Athenaeum VIII 348 D — Suida auctore Eratosthenis discipulum non multo minorem natu fuisse quam illum; vixisse eum igitur prima saeculi secundi a. Chr. n. parte. Dionysium autem Suetonio teste de gramm. cp. 7 fine alterius saeculi a. Chr. n. fuisse. Itaque cum Mnaseas Scytobrachione aliquantum antiquiorem fuisse appareat, fieri non potuisse, ut ille ex minoris natu Dionysii libris aliquid laudaret. Mihi quidem res non tam certa videtur quam Lipsio. Neque enim Suidae semper fides attribuenda est in iis rebus, quae pertinent ad temporum rationem, praesertim cum quendam dicat alicuius discipulum — ut nos etiam saepius quendam nominamus discipulum alicuius, cuius scriptis multa debet, quamquam ipsum non novit —, neque de Dio-

---

1) Video nunc Welckeri sententiam probantem etiam E. Meyerum. Gesch. des Altertums I 499: „Etwa um 120 a. Chr. wurde sein (des Xanthos) Werk von Dionysios ὁ Σκυτοβραχίων von Mytilene im Geschmack der spätern Zeit überarbeitet; in dieser Gestalt hat es Nicolaus von Damascus benutzt. — In neuerer Zeit ist die Thatsache mehrfach mit Unrecht bestritten worden. Echt sind zweifellos die Fragmente bei Strabo aus Eratosthenes und Menecrates, vielleicht auch Dion. I 28.“ In altero volumine sententiam ex parte quadam mutavit Meyerus, p. 10 A: „Meine Zweifel an der Echtheit des Xanthos nehme ich zurück, möchte aber doch an einer Ausgabe und Ueberarbeitung durch Dionysios Scytobrachion (Athen. XII 515) festhalten.“

2) Ann. Fleck. 95 p. 550 et Comm. Gött. 1885, p. 233.

3) Quaestiones logographicae. Lips. 1886.

4) Hist. litt. Alex. II 47.

5) Müller. Fr. H. Gr. I.

nysii aetate certum scimus. Omnis enim de ea disputatio proficiscitur a Suetonii l. l., quem ipsum certius hac de re ignorasse ex ipsis verbis elucet.

Quare quae homines docti de eius temporibus statuere voluerunt, fallacibus coniecturis nituntur atque tam longe discedunt eorum sententiae, ut inde certum indicium aut pro Welckeri sententia aut contra eam ferri non posse intellegatur [1]). Unde efficitur Lipsium ea re, cum Welckeri sententiae omne fundamentum subtrahi arbitraretur, valde errasse. Nam cetera quae protulit argumenta omnia caduca sunt. Praecipue quomodo explicandus sit ille Athenaei locus XII 515 D modo laudatus non docuit. Putat Artemonem male errasse; sed id erat demonstrandum. Artemo, qui περὶ συναγωγῆς βιβλίων scripsit, sane doctus grammaticus putandus est, cui tale quid non sine certis causis imputare debemus. Succurrit autem Lipsio ut Athenaei loco fidem abnegaret Bethe [2]) et illum locum sic explicavit: „Athenaeus" ait „cum Xanthum laudaret ratus occasionem se esse nactum doctrinae ostendendae adnexuit quod apud Artemonem legerat de libris Xantho a Dionysio subditis. Sed pro certo et explorato minime habendum est Athenaeum de eodem libro dicere, de quo Artemo disseruit. Hoc erat demonstrandum. Nam cogitari certe etiam hoc potest, Scytobrachionem historiunculas Lydias scripsisse eadem ratione et consilio, quibus in Libycis fabulis de Baccho enarrandis, et testem attulisse Xanthum sicut in illis Thymoetam et ita re vera subdidisse Xantho. Nam de ipsa re dubitatio esse non potest cum testatur Artemo Cas-

---

1) Suetonii verba haec sunt: „M. Antonius Gnipho, ingenuus in Gallia natus sed expositus, a nutritore suo manumissus institutusque (Alexandriae quidem, ut aliqui tradunt, in contubernio Dionysi Scytobrachionis, quod quidem non temere crediderim, cum temporum ratio vix congruat) fuisse dicitur ingenii magni. . . . Scholam eius claros quoque viros frequentasse aiunt, in iis M. Ciceronem, etiam cum praetura fungeretur." Quo quidem de loco interpretando velim inspicias Hachtmann: De Dionysio Scytobrachione Diss. Bonn 1865. E. Schwartz: De Dionysio Scytobrachione, Diss. Bonn 1880 p. 5. Sierocka: Die mythographischen Quellen für Diodors III. u. IV. Buch, Progr. Lyck. 1878. Susemihl: Alexandr. Litt. Gesch. II 47. — De Mnasea Eratosthenis discipulo conferas Susemihl. l. l. I 679 adn., qui verba etiam aliter posse intelligi fatetur: „Die Worte des Suidas lassen allerdings auch eine andere Konstruktion zu, nach welcher er vielmehr Schüler des Aristarch wäre."

1) Quaest. Diodor. 1887, p. 10.

sandreus, qui in ceteris fragmentis se bonum et fidum grammaticum praestet" [1]. Betheo, qui cum in diiudicandis fragmentis Xanthi prorsus faceret cum Lipsio, Artemonis notam abici noluit sed Athenaei fidem in dubium vocavit, concessit Susemihlius l. l. sic omnes difficultates facile tolli. Attamen valde dubito Betheo assentiri. Ad talem enim interpretationem nobis confugiendum non esse nisi causarum necessitate coactis puto. Quoad igitur Athenaeum errasse comprobare non possumus, in Artemonis iudicio perseverandum nobis est.

Obloquentem denique habuit Welckerus Pomptovium [2], qui illius opinionem reici putat Dionysii Hal. iudicio antiq. Rom. I 28: *Ξάνθος εἰ καί τις ἄλλος ἱστορίας παλαιᾶς ἔμπειρος ὤν, τῆς δὲ πατρίου καὶ βεβαιωτὴς ἂν οὐδενὸς ὑποδεέστερος.* Inde enim efficitur ex Pomptowii p. 3 sententia, Dionysium Hal. aut usum esse genuino Xantho aut incredibili fuisse neglegentia. Dionysium subditicio opere decipi potuisse ille sibi non persuasit, cum Welckerus id ipsum inde concluderet, quod Cephalion ab illo *ἀρχαῖος καὶ λόγου ἄξιος συγγραφεὺς παλαιὸς πάνυ* nominatur, quod Cephalionis Troica ab Hegesianacte conscripta esse ab Athenaeo didicimus (IX 393 D). Quod argumentum Welckero Pomptowius eripere studuit summam vim tribuens nominis scripturae a Dionysio et Athenaeo traditae; ille enim exhibet Cephal o n, hic Cephal i o n. Tali autem argumento Athenaei fidem infringi quis est quin neget? Praeterea oblitus est Pomptowius Athenaeum, si tradat Cephalionis Troica re vera adscribenda esse Hegesianacti, id iudicium non ipsum tulisse sed in fonte suo invenisse, quem hic non indicat ut in iudicio de Xanthi interpolatione ab Artemone prolato. Nihil igitur obstat, quominus etiam Dionysium Hal. iam non genuinum Xanthum in manibus habuisse sed recognitum a Scytobrachione et mutatum putemus. — Alterum quod protulit Pomptowius argumentum ad tempora et Mnaseae et Dionysii Milesii pertinens iam supra redargui. Ultimum hoc advocavit. Narratur enim fr. 27. Xantho auctore Terpandrum vixisse Olympiade fere duodevicesima. Unde nos duci ad auctorem post Timaeum florentem, qui primus illa temporum ratione usus sit (Polyb. XII 12), Welckerus

---

1) cf. Müller. F. H. Gr. I p. XXI.
2) De Xantho et Herodoto, rerum Lydiarum scriptoribus, Diss. Hall. 1886.

concludit, cum Pomptowius putet, aut Clementem Alexandrinum, qui illud fr. 27 nobis tradit, illam temporum rationem habuisse aut iam veteres logographos interdum illa usos esse, quod verisimile sit ex Euseb. Praep. ev. X p. 489 Müll. fr. 62. Quo de fragmento iudicium dubium esse posse Pomptowio concedo, quoniam equidem Olympiadum rationem Clementi tribuendam esse arbitror, neque ea de causa illi argumento magnam vim attribui velim. Cetera autem quae attulit argumenta postquam omnia caduca esse modo demonstravi, unum illud dubium nihil valere nemo negabit. Adeo non igitur Pomptowius Welckeri sententiam refutavit, ut contra affirmaret. Ipse enim concedit p. 21 non omnia quae pertineant apud Nicolaum ad Lydias res e Xanthi opere petita esse, sed multa inesse, quae redoleant auctorem posterioris aetatis neque consentiant cum veteris logographi simplicitate; quae careant praeterea dialecti Ionicae vestigiis — fr. 60 et 70 Dind.; quae ex Herodotea narratione, ut appareat, transscripta et amplificata sint (p. 67 Dind.). Illa igitur referenda esse aut ad Nicolaum ipsum aut ad eius fontem iudicat. Quid? Nonne ipse quamquam invitus Welckeri argumentationem adiuvat, cum de fonte Nicolai cogitare mallet quam de illo ipso?

Sed accuratius haec res indaganda mihi videtur quam fecit Pomptowius. Valde miror, quod ille rectam viam huius totius quaestionis feliciter persolvendae iam ingressus persequi non perseveraverit sed ea relicta rem non modo non ad finem perduxerit sed etiam magis perturbaverit. Optime enim nuperrime cognovit Maassius de Welckeri sententia certum iudicium in eo potissimum consistere, num quae elementa Herodotea in Nicolai historia inveniantur [1]). Ea indagantibus nobis occurrebant iam supra et praecipue in eo fragmento 65, quod ad Cyrum pertinet, ita ut Bauerus l. l. p. 524 nisi plurimis ac certissimis causis ad Ctesiam Nicolai fontem duceremur paene de Herodoto eius auctore hic se cogitasse fateatur. Imprimis autem exstant memoriae Herodoteae in iis fragmentis, quae ad res Lydias pertinent. Licet mihi eas componere, cum qui adhuc hoc munus susceperunt, aut non omnes locos ad comparationem aptos conferrent ut Pomptowius l. l. aut ad comparationem ne accurate quidem confectam

1) Index lect. Gryph. 1894 p. X.

accederent opinione praeiudicata rati fragmenta illa Xanthi esse genuini quaestione non habita, ut Hachtmannus de ratione inter Xanth. Lyd. et Herodoti Lyd. historias. Hal. 1869.

Denuo igitur singulos locos inter se conferre opus est. Apud utrumque idem nomen Myrsi regis obviam est, qui Herodoto pater ultimi regis a Gyge interfecti est, cum Nicolaus id non expressis verbis dicit, sed subindicat Myrsum non multo ante ultimum regem regnasse [1]). Mirum videtur quod alter ab altero de nomine ultimi regis e gente Heraclidarum dissentit. Si comprobavimus aliis exemplis inter utrumque rationem aliquam intercedere, si porro Welckeri sententia de Xantho a Dionysio interpolato probatur, assentiri ei velim id, quod hac de difficultate probabili modo coniecit, nomen Candaulis Xanthi patris fictum esse a Dionysio. Hic autem iudicium in dubio remanet. Nam hoc fragmento, quomodo Nicolaus et Herodotus inter se cohaereant, comprobari non potest, quod cetera permulta, quae de regibus veteribus Lydorum memoriae prodidit Nicolaus, Herodotus omisit, cum totam Lydorum historiam accuratius explicare in animo non haberet.

Summa narrationis Herodoti et Nicolai de ultimo e Heraclidis prole necato eadem est, etsi in singulis rebus dissentitur. Quod nos minus offendet considerantes, Herodotum de ipso Gyge plurima comperisse Delphis a sacerdotibus, quos magnis donis regem sibi conciliasse ab Herodoto I 14 et Nic. fr. 49 accepimus. Sic satis consentaneum est Herodotum historiam Gygi magis faventem tradidisse, velut si Gyges homo non sceleratus inducitur omni culpa facinoris Candauli adscripta. Quamvis autem multa distent, tamen nonnulla consentiunt. Uterque Gygen virtute sua inter custodes ad summos honores ascendisse narrat.

Her. I 8 *ἦν γὰρ οἱ τῶν αἰχμοφόρων Γύγης ὁ Δασκύλου ἀρεσκόμενος μάλιστα.*

Nic. fr. 47 p. 32 *ἦν δ' ὁ Γύγης κάλλει τε καὶ μεγέθει διαφέρων, τὰ δὲ πολέμια γενναῖος καὶ τῶν ἡλίκων μακρῷ τὰ πάντα*

1) Nic. fr. 49: βασιλεύοντος δὲ Μύρσου atque paulo infra ὅτι Σαδυάττης ὁ ἔσχατος βασιλεὺς Λυδῶν . . .
Her. I 7: παῖς παρὰ πατρὸς ἐκδεχόμενος τὴν ἀρχὴν μέχρι Κανδαύλου τοῦ Μύρσου.

ἄριστος ἵππων τε καὶ ὅπλων χρῆσιν ἤσκει pauloque post *καὶ θεασάμενος ἠγάσθη τό τε εἶδος καὶ τὸ μέγεθος, ἐκέλευσέ τε μετὰ τῶν δορυφόρων εἶναι.*

Ex locis modo comparatis Nicolaum copiosius enarrasse elucet, quae Herodotus paucis verbis quasi attigit. Id saepius animadvertemus. In eodem fragmento Nicolai haec verba *ἔστεργε* (rex) *αὐτὸν θαυμάζων τὸ δραστήριον καὶ τῆς πρόσθεν ὑποψίας λήξας γῆν αὐτοῦ πολλὴν ἐνεχείρισεν* cum Herodoteis verbis I 8 bene componuntur: *τούτῳ τῷ Γύγῃ καὶ τὰ σπουδαιέστερα τῶν πραγμάτων ὑπερετίθετο ὁ Κανδαύλης.*

Apud utrumque deinceps refertur ultimo rege Heraclida necato magnum motum exarsisse atque num Gyges rex fieret, ad oraculi Delphici iudicium delatum esse. Vide verba utriusque:

Nic. fr. 48 p. 34 Dindorf. *οἱ δὲ τὸ μὲν πρῶτον ἐταράχθησαν δυσανασχετοῦντες τὸ ἔργον καὶ ἐπὶ Γύγην ὡρμῶντο . . . . καὶ ἔπεμψαν εἰς Δελφοὺς πευσόμενοι, εἰ Γύγην στήσαιντο ἑαυτῶν βασιλέα.*	Her. I 13. *ὡς γὰρ δὴ οἱ Λυδοὶ δεινὸν ἐποιεῦντο τὸ Κανδαύλεω πάθος καὶ ἐν ὅπλοισιν ἦσαν, συνέβησαν ἐς τὠυτὸ οἵ τε τοῦ Γύγεω στασιῶται καὶ οἱ λοιποὶ Λυδοί, ἢν μὲν δὴ τὸ χρηστήριον ἀνέλῃ, μιν βασιλέα εἶναι Λυδῶν, τὸν δὲ βασιλεύειν, ἢν δὲ μή, ἀποδοῦναι ὀπίσω ἐς Ἡρακλείδας τὴν ἀρχήν.*

Etiam de illo discrimine Nicolaus nonnulla, quae apud Herodotum non exstant, praebet ob eam causam, ut suam narrationem lectoribus iucundiorem redderet.

Optime autem eodem in fragmento Nicolai locus respondet Herodoto:

p. 35. 6 Dind. *τοὐντεῦθεν Γύγης ὁ Δασκύλου Λυδῶν βασιλεύει καὶ γαμεῖ τὴν Μυσὴν γυναῖκα ἥντινα Σαδυάττης ἠγάγετο.*	Her. I 12 *καὶ μετὰ ταῦτα . . ἔσχε τὴν γυναῖκα καὶ τὴν βασιληίην Γύγης.*

Herodotus nomen reginae non tradidit, quod Nicolaus necessarium putavit: attulit enim paulo supra (Dind. p. 33. 24) *Τουδώ.* Etiam hoc docet nos scribendi rationem Nicolai vel eius auctoris.

Ex Herodoti verbis I 13 *ἢν δὲ μή, ἀποδοῦναι ὀπίσω ἐς Ἡρακλείδας τὴν ἀρχήν* elucet non omnem gentem exstinctam esse, sed aliquam prolem superstitem fuisse. Nicolaus multa verba facit de Lixo quodam, quocum Gyges primum habuit inimicitiam, deinde autem amicitiam. Fortasse Müllerus ad fr. 49 adn. illum e gente Heraclidarum fuisse relictum recte suspicatus est. —

Dissentiunt Herodotus et Nicolaus de nomine patris Sadyattis, quod hic Alyattes, illic Sadyattes est; error fortasse scribae attribuendus. De Smyrna ab Alyatte capta consentiunt.

Her. I 16 *Σμύρνην τε τὴν ἀπὸ Κολοφῶνος κτισθεῖσαν εἷλε.*

Nic. fr. 62 *ἐπολέμησε δὲ Σμυρναίους καὶ εἷλεν αὐτῶν τὸ ἄστυ.*

Alyattem permultos filios habuisse, quorum maximus natu Croesus fuisset, refert Nicolaus fr. 63: *Κροίσῳ ὅστις ἦν αὐτοῦ πρεσβύτατος τῶν παίδων* et ibidem paulo infra *ὅτι πολλοὶ παῖδες εἶεν Ἀλυάττου.*

Herodotus mentionem facit duorum modo eius filiorum I 92: *ὁ δὲ Πανταλέων ἦν Ἀλυάττεω μὲν παῖς, Κροίσου δὲ ἀδελφεὸς οὐκ ὁμομήτριος.* Sed ex his verbis non efficitur, regi illi non plures duobus filiis fuisse ex Herodoti sententia. Loci ergo non repugnant.

In eodem fr. 63 Nicolaus commemorat inimicum Croesi quendam mercatorem, qui nondum illum regnantem ita lacessiverat, ut se cunctas res mercatoris Dianae Ephesiae consecraturum esse ille voveret, ubi primum in regnum ascendisset. Neque eas res omnino omisit confer enim haec verba

Her. I 92. *τὰ δὲ ἄλλα ἀναθήματα ἐξ ἀνδρὸς ἐγένετο οὐσίης ἐχθροῦ, ὅς οἱ πρὶν ἢ βασιλεῦσαι ἀντιστασιώτης κατεστήκεε συσπεύδων Πανταλέοντι γενέσθαι τὴν Λυδῶν ἀρχήν.*

Nic. fr. 63: *τὸν δὲ τοῦ ἐμπόρου οἶκον Ἀρτέμιδι καθιέρωσε, καὶ αὐτὰ τὰ θεμέλια ἀποδόμενος διὰ τὴν εὐχήν, ὡς μηδὲν λείποιτο.*

Veniamus nunc ad fr. 70 Nicolai [1]), in quo hominem quendam

---

1) Apud Müllerum Fr. H. Gr. non exstat.

e Thracia Mysia temporibus Alyattis in Lydiam migrasse refertur. Cuius feminam cum tres labores simul subeuntem vidisset, rex Alyattes admirans quaesivit ex ea, quae undeque esset, et illud cum comperisset, num omnes Mysorum feminae ita essent laboriosae. Id illa professa est. Qua re commotus rex statim a Cotye Thraciae rege petiit, ut nonnullos Thraces, qui in Lydia considerent, sibi mitteret. Historiam sane simillimam legimus apud Herodotum V 12 sq., quamquam singulae res non semper consentiunt cum iis quas tradidit Nicolaus. Agitur enim apud Herodotum de duobus Paeonibus, apud alterum de uno Myso; apud Herodotum femina non uxor est sed soror; rex, qui eam mirabatur non Alyattes Lydorum rex est sed Darius Persarum, qui colonos petit non a rege Thraciae, sed a satrape suo Thraciae praeposito, Megabazo; hic Paeonibus bellum infert eosque subigit et magna ex parte in Asiam transportat. Certe nonnulla dissentiunt, attamen non modo summa totius narrationis sed etiam verba utriusque eadem fere sunt. Conferas inprimis hos locos:

Nic. fr. 70: *ἡ γυνὴ τοῦ Θρακὸς ἐπὶ μὲν τῆς κεφαλῆς βαστάζουσα στάμνον ἐπὶ δὲ τῶν χειρῶν ἠλακάτην καὶ ἄτρακτον, ὄπισθεν δὲ πρὸς τὴν ζώνην ἵππος τις προσεδέδετο. καὶ ἐπὶ μὲν τῆς κορυφῆς ὁ στάμνος ἦν μεστὸς τοῦ ὕδατος, ἐν δὲ ταῖς χερσὶν εἰργάζετο νήθουσα ἐκ τῆς ἠλακάτης τὸν ἄτρακτον, ὄπισθεν δὲ πρὸς τὴν ζώνην ἠκολούθει ὁ ἵππος ἀπὸ τῆς πηγῆς πεποτισμένος.*

Her. V 12: *σκευάσαντες τὴν ἀδελφεὴν ὡς εἶχον ἄριστα ἐπ' ὕδωρ ἔπεμπον ἄγγος ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἔχουσαν καὶ ἐκ τοῦ βραχίονος ἵππον ἐπέλκουσαν καὶ κλώθουσαν λίνον.*

Quos adhuc comparavi loci plane demonstrant et propter verborum similitudinem, quam saepius vidimus, et quod res plerumque bene consentiunt, quandam rationem inter Nicolaum et Herodotum intercedere. Nec tamen erat talis consensus, ut Nicolaum illius historia quasi fonte primario usum esse putare cogeremur. Potest enim id etiam aliter intellegi, quod statim cognoscemus, ubi primum statuimus, quem ad modum Nicolaus fontem nobis praebeat. Quod

mihi demonstrare licet fragmento 67, quo agitur de Croeso a Cyro capto capitisque damnato, sed mirum in modum servato. Priusquam autem ad ipsam huius fragmenti comparationem veniam, singulos locos, qui quidem consentiant atque id saepius ad verbum cum Herodoto, componere opus est.

Nic. *καὶ οἱ Πέρσαι μεγάλην ἔνησαν πυρὰν Κροίσῳ, ἀφ' οὗ ἔμελλον θεάσασθαι τὰ γιγνόμενα . . . ὀλίγου δ' ὕστερον θεράποντες ἦγον Κροῖσον δεσμώτην καὶ Λυδῶν δὶς ἑπτά . . . ὃ δ' ἤδη ἐπὶ τῆς πυρᾶς καθῆτο καὶ σὺν αὐτῷ δὶς ἑπτὰ Λυδῶν.*

Her. I 86. *ὁ δὲ συννήσας πυρὴν μεγάλην ἀνεβίβασε ἐπ' αὐτὴν τὸν Κροῖσόν τε ἐν πέδῃσι δεδεμένον καὶ δὶς ἑπτὰ Λυδῶν παρ' αὐτὸν παῖδας.*

Nic. *σιωπῆς δὲ γενομένης στενάξας μέγα εἰς τρὶς ἀνακαλεῖται πάλιν Σόλωνα.*

Her. *καὶ ἀναστενάξαντα ἐκ πολλῆς ἡσυχίης ἐς τρὶς οὐνομάσαι Σόλωνα.*

Nic. *καὶ ὁ Κῦρος ἀκούσας ἐδάκρυσεν, ἐννοηθεὶς ὅτι νεμεσητὰ δρᾷ βιασθεὶς ὑπὸ Περσῶν βασιλέα οὐδὲν ἐλάττονα αὐτοῦ τὴν τύχην ἐμπιμπράς.*

Her. *καὶ τὸν Κῦρον ἀκούσαντα . . . καὶ ἐννώσαντα ὅτι καὶ αὐτὸς ἄνθρωπος ἐὼν ἄλλον ἄνθρωπον, γενόμενον ἑωυτοῦ εὐδαιμονίῃ οὐκ ἐλάσσω ζώοντα πυρὶ διδοίη.*

Nic. *χειμὼν δ' ἔτυχε τὴν ἡμέραν ἐκείνην ἐξ ἠοῦς οὐ μὴν ὑετός γε. Κροίσου δ' εὐξαμένου ζοφερὸς ἐξαίφνης ἀὴρ συνέδραμε νεφούμενος πανταχόθεν, βρονταί τε γίγνονται καὶ ἀστραπαὶ συνεχεῖς, τοσοῦτός τε κατεῤῥάγη ὑετὸς ὥστε μὴ μόνον τὴν πυρὰν σβεσθῆναι ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀνθρώπους μόλις ἀντέχειν* **et paulo supra** *φασὶ δὴ Κροῖσον*

Her. *ἐνθαῦτα λέγεται ὑπὸ Λυδῶν Κροῖσον . . . ἐπιβώσασθαι τὸν Ἀπόλλωνα ἐπικαλεόμενον . . . παραστῆναι καὶ ῥύσασθαί μιν ἐκ τοῦ παρεόντος κακοῦ . . . ἐκ δὲ αἰθρίης τε καὶ νηνεμίης συνδραμέειν ἐξαπίνης νέφεα καὶ χειμῶνά τε καταῤῥαγῆναι καὶ ὗσαι ὕδατι λαβροτάτῳ, κατασβεσθῆναί τε τὴν πυρήν.*

ἐμβλέψαντα εἰς τὸν οὔρανον εὔξασθαι τῷ Ἀπόλλωνι ἀρῆξαί οἱ . . .

Nic. *ὁ δὲ εἶπεν, ὦ δέσποτα, ἐπεί μέ σοι θεοὶ ἔδοσαν σύ τε χρηστὰ ἐπαγγέλλεις, αἰτοῦμαί σε δοῦναί μοι πέμψαι Πυθώδε πέδας τάςδε, καὶ τὸν θεὸν ἐρέσθαι τι παθὼν ἐξηπάτα με τοῖς χρησμοῖς ἐπάρας . . .*

Her. 89 et 90. *ἐπεί τε με θεοὶ ἔδωκαν δοῦλόν σοι . . . ὁ δὲ εἶπε· ὦ δέσποτα, ἐάσας με χαριεῖ μάλιστα τὸν θεὸν τῶν Ἑλλήνων τὸν ἐγὼ ἐτίμησα θεῶν μάλιστα, ἐπείρεσθαι, πέμψαντα τάςδε τὰς πέδας, εἰ ἐξαπατᾶν τοὺς εὖ ποιεῦντας νόμος ἐστί οἱ.*

Nic. *Κῦρος δὲ γελάσας καὶ τάδε ἔφη δώσειν καὶ ἄλλων οὐκ ἀτυχήσειν αὐτὸν μειζόνων.*

Her. *Κῦρος δὲ γελάσας εἶπε καὶ τούτου τεύξεαι παρ' ἐμεῦ, Κροῖσε, καὶ ἄλλου παντὸς τοῦ ἂν ἑκάστοτε δέῃ.*

Nic. *ἐπάρας στρατεύειν ἐπὶ σὲ ὡς περιεσόμενον, ἐξ ὅτου αὐτῷ τάδε ἀκροθίνια πέμπω δείξας τὰς πέδας καὶ τί δήποτε ἀμνημονοῦσι χάριτος οἱ τῶν Ἑλλήνων θεοί.*

Her. *ὡς δὲ ταῦτα ἤκουσε ὁ Κροῖσος, πέμπων τῶν Λυδῶν ἐς Δελφοὺς ἐνετέλλετο τιθέντας τὰς πέδας ἐπὶ τοῦ νηοῦ τὸν οὐδὸν εἰρωτᾶν εἰ οὔτι ἐπαισχύνεται τοῖσι μαντηίοισι ἐπάρας Κροῖσον στρατεύεσθαι ἐπὶ Πέρσας ὡς καταπαύσοντα τὴν Κύρου δύναμιν τοιαῦτα γενέσθαι δεικνύντας τὰς πέδας. ταῦτά τε ἐπειρωτᾶν καὶ εἰ ἀχαρίστοισι νόμος εἶναι τοῖσι Ἑλληνικοῖσι θεοῖσι.*

Hi sunt loci, qui saepius ad verbum alter alteri respondent, quod cum omnino non fortuito fieri potuerit, omnem tollit dubitationem, quin inter utrumque autorem quaedam ratio intercedat, quam non interpretamur nisi Nicolaitanae narrationi Herodoteam quadamtenus subesse putemus. Plane igitur errare mihi videtur Denckerus, qui

talem verborum consensum ex eodem fonte intelligi voluit [1]). Nostram autem opinionem corroborat et confirmat oraculum illud Gygi regi a Delphicis sacerdotibus datum, quo ultionem Mermnadis venturam esse quintae prolis temporibus apertum est. Id enim apud utrumque iisdem verbis refertur:

Her. I 13 *τοσόνδε μέντοι εἶπε ἡ Πυθίη, ὡς Ἡρακλείδῃσι τίσις ἥξει εἰς τὸν πέμπτον ἀπόγονον Γύγεω.*

Nic. *θεὸς δὲ ἐκέλευσε τοσόνδε προειπὼν ὅτι τοῖς Ἡρακλείδαις ἐς πέμπτην γενεὰν ἥκοι τίσις παρὰ τῶν Μερμναδῶν.*

Quae verba ne unum quidem scrupulum nobis quidem relinquunt. Statim autem nobis altera quaestio offertur. Quamquam enim in Nicolai fragmentis tot insunt memoriae Herodoteae, quamquam verba saepe eadem in utriusque libris leguntur, tamen apud Nicolaum permulta invenimus, de quibus alter ille nihil refert, ut de Sibylla Croeso auxilio veniente, permulta, quae Herodotus aliter narrat [2]). Exempli causa nos apud Herodotum legere commoneo, ab Apolline Croesum servatum esse, cum subito coelo de sereno pluere iuberet, apud Nicolaum autem, totum iam diem caelum nubibus obscuratum fuisse. Haec est

---

1) Schubert l. l. p. 122: „Sämtliche Aehnlichkeiten zwischen Herodot und Nicolaus auf eine Gemeinsamkeit der Quelle zurückzuführen, ist übrigens schon von vorne herein unmöglich, da dieselben sich nach unserer eben gemachten Zerlegung des herodoteischen Berichtes auf 2 ganz verschiedene Quellen verteilen.“ Id facile concedo de uno fonte omnino cogitari non posse.

2) Neuhaus Progr. Hohenstein 1886, p. 2, Anmkg. 3: „Die Darstellung des Nicolaus fr. 68 (Müller III 407) ist zwar der des Herodot im Allgemeinen analog, weicht aber doch in so vielen Einzelheiten von letzterer ab, daß Herodot die Quelle des Nicolaus nicht gewesen sein kann, ebensowenig Ephoros, dem Nicolaus in der griechischen Geschichte hauptsächlich gefolgt ist (Müller a. a. O. 346), da nach Ephoros fr. 101 Thales von Milet allein unter den 7 Weisen nicht am Hofe des Krösus geweilt hat, während er bei Nicolaus diesen vor dem Besteigen des Scheiterhaufens tröstet. Nach dem Urteile Müllers ist vielmehr Xanthos der Lyder die Quelle des Nicolaus, während Grote: Geschichte Griechenlands II 402 A. 22 die Darstellung des Nicolaus eine bloße, nicht gut zusammengesetzte Compilation aus Xenophons Cyropaedie und der Erzählung des Herodot zu sein scheint, die vielleicht einige besondere Ereignisse aus Xanthos einschließt.“

Neuhausium, cum hanc rem quasi praeteriens attingeret, non recte iudicasse compluribus causis efficitur. Nescio enim, cur non praeter Herodotum, quocum Nicolaum de multis singulis rebus consentire ipse fatetur, alium fontem statuere voluerit. Grotium longe errasse, cum de Xenophontis Cyri institutione fonte cogitaret, in promptu est.

dissensio exigua, sed exstant maiores. Quae ratio scribendi e Nicolai fragmentis elucaet aperte demonstravit Schubertus, cum ageret de rebus a regibus Lydorum gestis [1]). Multa is quae apud Nicolaum exstant, ex Herodoto amplificata esse docet ut haec: *καὶ οἱ Πέρσαι μεγάλην ἔνησαν πυρὰν Κροίσῳ ὑπό τινα ὑψηλὸν τόπον, ἀφ' οὗ ἔμελλον θεάσασθαι τὰ γιγνόμενα* ex Herodoteis verbis simplicibus *ὁ δὲ συννήσας πυρὴν μεγάλην*. Quod factum est, ut vulgus spectantium maius induceretur, quo maiorem haberet vim et gravitatem historia. Eandem ob causam Cyrum non modo magna cum Sardianorum grege sed etiam cum toto exercitu ad Croesi rogum spectandi causa venientem facit. Quae dicuntur a Nicolao de doloribus clamoribusque Lydorum, de crinibus mulierum sibi scissis, cum Croesus in rogum ascenderet, quem velut patrem venerati essent Lydi, ea omnia exaggerata sunt ex Herodoti verbis cp. 155, ubi Croesum a Lydis magis quam patrem dilectum esse Cyrus praedicat [2]). Praecipue autem ante oculos nobis ponitur, quomodo rudior Herodoti historia apud Nicolaum expolitior et amplificata prostet iis rebus, quas de Croesi filio muto tradit. Nam cum Herodotus simpliciter narret, illum patre capto primum lingua uti potuisse, atque ita Delphicum oraculum quoddam solvisse, apud Nicolaum ea aucta legimus plurimis additamentis, quae effluxerint eo studio, ut lectores quam maxime delectarentur. Filius enim non modo primum loquitur patremque magnis clamoribus deplorat, sed etiam se perire cum eo malle quam patre necato fatetur vivere, ut aegre in rogum iam ardentem se inicere prohibeatur. Habemus hic praeclarum exemplum, quomodo Nicolaus vel eius auctor — nam utrum ipse haec composuerit an alter, quem exscripsit, statim perquirendum erit — Herodoti simplicem narrationem additamentis aliunde sumptis ampliaverit. Iam supra nonnulla brevi animadvertimus, quae apud Nicolaum mutata legimus, ut imbrem non existitisse

1) Geschichte der lydischen Könige p. 122 ff. cf. Busolt. 600 Anmkg. 2.

2) Schubert. l. l. 122/3: „Derartige Rührscenen gehen sicher nicht auf Xanthos zurück, sondern gehören erst in die nachklassische Zeit. Am einfachsten wird man den Nicolaus dafür verantwortlich machen.“ Quamquam id Schuberto adsentior talia referenda esse ad tempora, quibus studia litterarum Alexandriae vigebant, tamen Nicolao adscribenda esse nego, postquam talem scribendi rationem ei non fuisse propriam commentatione praemissa demonstrasse mihi videor. Quae exstant apud Nicolaum eiusmodi ea etiam aliter intelligi posse statim evincam.

repente caelo sereno, quod posterioris aetatis lectoribus, qui minus portentis dediti essent quam Graeci Herodoti temporibus, scriptor offerre non debuit, sed nubibus iam totum per diem caelo obscurato. Imprimis autem in fine relationis Nicolaus indulget studio fabulandi, ubi talem tempestatem ortam esse refert, qualem homines vix sustentare potuissent, equos metu perterritos omnia perturbasse, homines autem in hac omnium perturbatione Croesi non esse oblitos, sed ei tegumen quasi munimentum dedisse. Tunc autem subito inducitur Sibylla causa non data ita ut liberatio Croesi duplici modo declaretur. Nempe ut haec discrepantia operiretur, altera causa cum altera ita coniunctae sunt, ut audiamus, Cyrum iam a Sibylla commotum Croesum servare voluisse, quod Persae impedivissent, dum Apollo imbrem mitteret. Ex Herodoto Nicolaus Sibyllam haurire non potuit, apud quem ne minima quidem ansa intelligitur. Hic igitur duas narrationes varias commixtas esse quis est quin dubitet accuratius fragmento 67 inquisito. Quomodo autem compositum sit, bene demonstravit Schubertus l. l. 120, nec tamen omnia expedivit. Melius duas e quibus partibus illa Nicolai narratio composita sit Maassius l. l. p. VI enucleavit, qui simul relationem de Sibylla a Nicolao traditam eo vetustiorem esse recte cognovit, cum iam ab Heraclide Pontico Herophilae aetas e Solonis et Cyri temporibus definita sit, ut „cum illis viris aliquid commercii sive Sardibus habuisse eam sive per aliam aliam Persarum regni regionem id temporis amplissimi expectemus.“ Idem intellexit primus genuinam fabulae Sibyllinae formam per fucos Nicolaitanos perlucentem reddendam esse scriptori Heraclide antiquiori — Xantho [1]). Quid vero? Sibyllina narratio si referenda

1) Perverse Orellius, cum Nicolai fragmenta colligeret, hoc fragmentum e Xantho genuino fluxisse suspicatus est, cui oblocutus Müllerus I p. 40 toto narrationis colore eius opinionem redargui adnotavit. Steinius primus nonnulla Herodoto deberi recte cognovit, sed ne ille quidem singulas fragmenti partes segregare scivit. Multa probo, quamquam non omnia, quae apud Pomptowium legi p. 23 „non dubium esse potest, quin Nicolai Damasceni auctor Herodoti verba commutaverit, non hic verba illius. Namque Herodotum Nicolai auctoris descriptionem novisse propterea statui nequit, quia, ut supra demonstravimus, apud Nicolaum multa traduntur, quorum apud Herodotum nulla mentio fit, quamvis ad rem illustrandam plurimum valeant. Nicolaus igitur ipse aut eius auctor hoc loco Herodoteam narrationem transscripsit et amplificavit; neque vero ob eam rem duobus fontibus in rebus Lydorum narrandis usus putandus est, quod iam per se minus

sit ad veterem illum logographum, quomodo in Nicolai historiam universalem venerunt memoriae Herodoteae, de quibus supra egimus? Qui adhuc hanc quaestionem tractabant illa additamenta ab ipso Nicolao facta esse putaverunt. Quae sententia certo longe abicienda videtur, postquam accurata commentatione praemissa satis comprobasse mihi videor, vix usquam Nicolaum in conscribenda historia duos confudisse fontes sed semper unum exscripsisse auctorem, cum nihil adderet de suo vel mutaret aliis rebus aliunde sumptis. Sic igitur ne hic quidem mea sententia Nicolaus duas illas relationes confudisse putandus est, cum haec sententia a scribendi ratione, qua illum usum esse supra demonstravimus, discedat. Sed quid? Quaeret fortasse quispiam, num Herodotum, qui eis temporibus in omnium manibus erat, ignoraverit. Prorsus id nolim contendere, sed mea quidem sententia, cum historiam conscriberet, illum non adhibuit. Neque id mirum videtur in auctore, quem sero demum opus scripsisse scimus et fontibus quam potuit accuratissime se addixisse supra evincere studui. Neque erat Herodoti opus admodum aptum ei scriptori, qui omnium rerum gentium temporum saeculorum memoriam litteris persequi sibi proposuerat, quod pater historiae unam tantum partem quamvis clarissimam Graecarum rerum litteris mandavit, ceterorum autem populorum res occasione data leviter quasi attigit. Qui ordine omnium gentium res tradere voluit, ei multo aptiores erant singulorum temporum et gentium scriptores, qui adhiberentur. At si cui

---

verisimile est. Quid enim est, cur negemus hoc de Croeso fragmento non ei auctori, cui cetera de Lydis fragmenta tribuenda sint — Xantho, sed ei deberi posterioris aetatis scriptori, quem in Cyri historia narranda sequitur Nicolaus — Ctesiae?" Id Pomptowio assentior fonte excepto, quem statuere placuit. Neque causam video, cur hic Nicolaus fontem mutaret, neque bene scimus, Ctesiam de hac re tam multa fecisse verba, neque, si revera fecit, verisimile est eum Herodoti opus tam accurate et saepius ad verbum exscripsisse, qui patri historiae tantopere malediceret. Etiam altera res loquitur contra eius opinionem. Invenimus enim memorias Herodoteas non modo hoc in Nicolai fragmento, sed etiam in permultis eorum, quae ad res Lydias pertinent, quas omnes communi fonte Xantho intellegi vix crediderim, praesertim cum non mihi certum esse videatur, Herodotum Xanthi opere usum esse, etsi Hachtmannus l. l. et Pomptowius l. l. et Kirchhoffius (Nachträgliche Bemerkungen zu der Abhandlung über die Abfassungszeit des herod. Geschichtswerkes 1871) eam sententiam confirmare studuerunt. Propterea igitur cum Pomptowio facere non possum neque hic Ctesiam subesse Nicolai narrationi puto.

mirum videatur, quod Herodotea historia aliquis non usus sit, exemplum scriptoris ei simillimi Nicolao proferam Diodori, quem Herodoti libros non inspexisse cum componeret libros I et II, quibus permulta e Herodoto sumere potuit, Schneiderus docuit[1]). Ad nostram autem opinionem modo prolatam ducimur etiam alia causa. Iam supra exposui, in rebus Persicis tantas exstare similitudines Nicolaitanae relationis et Herodoteae, ut Bauerus paene Herodotum fontem statueret, nisi gravioribus causis prohibitus esset.

Ita, cum non sumeret Nicolaus ex Herodoto res Persarum, non est perspicuum, cur Lydorum res ex illo hauriret. Sed fortasse dicet quispiam, in rebus Persicis eum propterea Herodoto non se addixisse, quod ut exstant apud eum, non satis aptae videbantur ad oblectationem lectorum, cuius magnam Nicolaum habuisse rationem ex omnibus fere fragmentis eluceat. Sane apparet persaepe hoc illius studium neque sine causa adnotavit nuperrime Wilamowitzius[2]), eius fragmenta e prioribus libris servata tantam romanensem praebere speciem, ut optime componantur cum scripto historico eiusdem generis Anonymi a Wilckensio nuper ex papyro edito[3]).

Et revera Nicolaus historiolas collegisse videtur eo consilio, ut lectorum studio valde indulgeret. Sed quid? Estne in omnibus eius historiae partibus idem referendi color? Rem ita esse prorsus nego. Confer enim — iam supra id admonui — Nicolai narrationem tam simplicem et ieiunam et hominum rationi et usui aptam de Cypselo et Periandro cum splendida et copiosa Herodoti fabulatione, iam intelleges, Damascenum auctorem non semper sibi constare in iucundis narrationibus tradendis, unde efficitur, Nicolaum ipsum narrationem non ornasse sed talem fere praebere, qualem in fonte invenerit. Hic autem si Herodotum non adhibuit, certo argumento demonstratur, hunc a Nicolao omnino omissum esse.

Inde sequitur Nicolaum narrationem illam de Croeso allatam ceteraque, quae de Lydiis rebus praebet, non ipsum composuisse sed invenisse in fonte, quem designare statim conabimur. Ac primum quidem, ut aetatem fontis statuamus, ansa nobis data est in iis, quae

1) De Diodori fontibus I—IV. Berl. Diss. 1880 p. 41 sq.
2) „Aristoteles und Athen" 1893 I p. 32 adn. 46.
3) Hermes 1893 p. 161 sq. Cf. Maassium l. l. p. IX adn 8.

inseruit Nicolaus historiae de Croeso et Cyro traditae fr. 67. *τόν γε μὴν Ζωροάστρην Πέρσαι ἀπ' ἐκείνου διεῖπον μήτε νεκροὺς κάειν μήτ' ἄλλως μιαίνειν πῦρ, καὶ πάλαι τοῦτο καθεστὸς τὸ νόμιμον τότε βεβαιωσάμενοι.* Quem locum propterea urgendum putat Maassius l. l. p. X quod praebet *αἴτιον* et *αἴτια* aucupandi studium proprie alexandrinum est[1]). Ad idem tempus ducunt nos eponymi alienarum urbium, quos ut Lydos inducit Nicolaus: Miletus, Attale. Adramys, Dascylus, Ardys, Ascalus, Magnes, quamquam pars eorum iam in Herodoti libris invenitur. Sed ne quis putet, alteram partem inveniri posse iam apud Xanthum obstat Attalea, ut luce clarius demonstravit Maassius l. l., sive cogitaveris de Pamphylica sive de Lydia. Neutrius enim Xanthus mentionem facere potuit, cum Pamphylicam ab Attalo Philadelpho conditam esse sciamus[2]); altera transnominata est ab Attalorum nescio quo, cum antea *Ἀγρόειρα* vel *Ἀλλόειρα* Stephano Byzantio teste vocaretur. Itaque cum Nicolaum talia de suo addidisse putare nequeamus ne minima quidem dubitandi causa restat, quin ille auctorem alterius saeculi a. Chr. n. secutus sit. Tempore auctoris sic definito iam procedamus ad alteram quaestionem, num nomen illius eruere possimus, qui, cum ageret de rebus Lydiis, et Xantho et Herodoto usus est eorumque relationes in unam confudit. Quid? Quaerentibus nobis nonne ultro se offert Athenaei locus XII 515 D, de quo iam egimus, unde Dionysium Scytobrachionem Xanthi *Λυδιακά* et auxisse et mutasse scimus? Atqui bene consentit Dionysi aetas, de qua iam supra diximus. Iam vides, quantopere ea re Welckeri sententia confirmetur. Sed ut omnem tollamus dubitationem inquirendum nobis est. num Dionysio eam fuisse scribendi rationem propriam statuere possimus, quam Nicolao denegamus, num tenor, quem inesse fragmentis Nicolai vidimus, idem fuerit in Dionysii libris. Plane aperuit Scytobrachionis rationem scribendi Betheus in dissertatione egregia[3]), qua exemplorum copia compro-

---

1) Meyer. l. l. I 604 A. „Die ausführliche Geschichte bei Nicolaos ist lediglich eine Ausspinnung und Rationalisierung der Angaben Herodots. Die Einführung der Sibylle und der λόγια Ζωροάστρου verrät die antiquarische Gelehrsamkeit der hellenistischen Zeit.“

2) e Strab. XIV 667.

3) Quaestiones Diodoreae mythographicae 1887.

bavit Dionysium in libris quos scripsit de Argonautis historiunculam protulisse, quo delectaret lectores, neque fabulas referre aut interpretari voluisse, sed exarare id, quod dicimus „Roman". Optime igitur congruit Dionysii ratio scribendi cum ea, quae elucet e Nicolai fragmentis. Iam vero ad alteram quaestionem disceptandam vocamur, num Dionysio falsarii crimen merito exprobrare debeamus. Etiam hic bene exposuit Betheus, illum callide et audacter fabulis, quo maiorem pararet fidem, antiquissimos poetas et mythographos evocasse[1]) quos quoniam numquam vixerunt, cum suis historiunculis fictis plane consentire quivis potuit confirmare. Estne eadem ratio, si logographi veteris opus paene oblivione obrutum denuo edidit et huic editioni novae, quamvis multa mutaret et interpolaret, tamen Xanthi nomen imposuit, quasi genuinum illius opus esset? Accedit, quod talia illis temporibus saepius accidisse constat[2]). Praecipue docet nos logographorum quae ferebantur magna ex parte subditicia visa esse Dionysii Halicarnassensis locus de Thuc. 23 p. 864:

οὔτε γὰρ διασῴζονται τῶν πλειόνων αἱ γραφαὶ μέχρι τῶν καθ᾽ ἡμᾶς χρόνων οὔθ᾽ αἱ διασῳζόμεναι παρὰ πᾶσιν ὡς ἐκείνων οὖσαι τῶν ἀνδρῶν πιστεύονται ἐν αἷς εἰσιν αἵ τε Κάδμου τοῦ Μιλησίου καὶ Ἀρισταίου τοῦ Προκοννησίου καὶ τῶν παραπλησίων τούτοις.

Etiam Xanthum ut tunc exstabat a nonnullis inter subditicios numeratum esse non dicit expressis verbis neque verisimile est Dionysium inter eos eum habuisse, quod ex altero eius loco fortasse iure censuerunt, eum non dubitasse de genuitate Xanthi. Leguntur enim apud eum Antiq. Rom. I 28 haec:

Ξάνθος, εἰ καί τις ἄλλος, ἱστορίας παλαιᾶς ἔμπειρος ὢν τῆς δὲ πατρίου καὶ βεβαιωτὴς ἂν οὐδενὸς ὑποδεέστερος.

Quomodocumque autem res se habet, tantum constat omnia argumenta bene cadere in Dionysium Scytobrachionem et Artemonis iudicium et Welckeri sententiam optime esse ea re confirmata.

Ut ea, quae hac dissertatiuncula effecisse mihi videor, breviter repetam, primum demonstravi Nicolaum non fuisse eum scriptorem,

---

1) Cf. Diod. III 52. 3, 66. 5 sq.

2) Cf. Cobet: Mnemosyne XI 1 sq.

qui ex omnibus relationibus de eadem re collatis novam componeret historiam, sed excerptorem, qui semper — quatenus sciri potest — auctorem diligenter secutus exscriberet, cum nihil mutaret vel interpolaret. Deinde cognovimus Artemonis iudicium, quamvis multa opposuerint homines docti, retinendum esse eique fidem habendam. Denique explicavi Lydias res, quas e duabus variis relationibus compositas apud Nicolaum legimus, referendas esse ad Dionysium Scytobrachionem.

VITA.

Natus sum Paulus Tietz in oppido Borussiae Occidentalis, cui nomen est Dt.-Krone, pridie Id. Ian. anno h. s. LXXI patre Henrico, quem praematura morte ereptum mihi esse quam maxime lugeo, matre Hulda e gente Hackbarth. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus in schola publica Slotowiae tredecim annos natus gymnasium adii. Maturitatis testimonium adeptus vere a. LXXXX ut studiis philologicis et historicis operam darem Berolinum me contuli, unde anno post Lipsiam transvectus sum. Anno intermisso Gryphiam transmigravi ibique per quinque semenstria mansi, ut studia conficerem. Facultatem docendi autumno a. LXXXXIV mihi constitui. Docuerunt me Delbrück Hübner Kirchhoff Köhler Koser Scheffer-Boichorst de Treitschke Zeller Berolinenses; Arndt Buresch Immisch Lamprecht Lipsius Ribbek Wachsmuth Wundt Zarncke Lipsienses; Bernheim Credner Maass Marx Norden Schuppe Seeck Ulmann Gryphienses.

Proseminariis interfui Bureschii Immischii Maassii, Marxii, praeterea exercitationibus philosophicis Schuppii, geographicis Credneri. Ut seminarii philologici per sex menses essem sodalis ordinarius, per tria semenstria senior, Maassii Marxii Nordeni factum est benignitate; et historico seminario interesse per sex semenstria Wachsmuth Bernheim Seeck Ulmann benevole mihi permiserunt.

Omnibus his viris optime de me meritis gratias pio animo habeo semperque habebo, imprimis Maassio, qui ut commentationis huius condendae auctor erat, sic ei conformandae operam curamque impendere nunquam desiit.

Frommannsche Buchdruckerei (Hermann Pohle) in Jena. — 1524